170

Jo. Sohr

In imaginem Henrici Cap-
dinem longo gestantis, ac prope
succumbentis onere.

Amalthea [illegible] olim fuerat leve pondus, [illegible]
Quae gravis [illegible] humeris [illegible]

Aliud Tertii Mag.

[illegible] [illegible] mei [illegible] [illegible]
[illegible], [illegible], [illegible] flammae [illegible]

Aliud [illegible]

Tarpeia [illegible] Nox sub [illegible] [illegible]
[illegible] magno, [illegible] [illegible].
Clamantum dolor [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible], nullo [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

Aliud.

Amor si moderatus erit quod [illegible] malorum,
Ipse sibi [illegible] nihil [illegible] Amor.

In picturam Ficticiae Phaethontis.

Qui patrios moderatur equos Puer [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible],
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] in [illegible],
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

Aliud.

Vela [illegible] [illegible], [illegible], aut [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible], aut miseranda [illegible].

Epita: Doctoris Erasmi Roterod:
Joh: Vdo Stagirense.
authore.

Quantus vita bonis latentibus [illegible],
Hac situs ipse tandem doctus Erasmus humo.
Quem licet in terra rapuerunt fata senecta,
Et vita solutum sopijt alta quies,
Hic tamen hunc vivit immaturis [illegible]
Flumina, defflesti dissolui lachrymis.
Ille [illegible] primum, quondam illa illa desperata
Et dulci manans nectare lingua fuit.
Ingeniumque sagax, tamen [illegible] lutis [illegible]
Omnia sub pavido [illegible] tumulo.
[illegible] virtutis laureata capillis,
Et Charites lugent, [illegible]
Collatasque suas [illegible] ad flumina [illegible]
In spargunt sacro [illegible] tumulo.
Idem.
Lucij Tabellarij in via ab Lovaniby[illegible]
[illegible]
Et humili tumulo sidera [illegible] eandem
[illegible] stius in moriens quam vixerat, humo
Nascitur infelix, vita [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]

Idem.

Ad Stygias descensus aquas [illegible] idem:
Serius, aut citius, [illegible] venit.

Idem.

Cum [illegible] similis [illegible] honorem
Garrula [illegible] sylva carminibus.

Idem de Sole.

Fert unum sol [illegible], cui plurima ore
Fulgor, [illegible] crinis splendidus [illegible],
Tellurisque magnae [illegible]: [illegible]
Et [illegible] in se [illegible] Anni.

Idem.

Senex dives de se.

Pauper eram iuvenis, nunc dives [illegible] senili
Aetate, heu misero, tempore utroque, nihil.
Ut [illegible] poteram, [illegible] dorme:
Quae nunc [illegible] longa, [illegible].

PRAECEPTA DIALECTICES IVSTO COMPENDIO AD VSVM scholarum accommodata, et exemplis utilibus illustrata.

A

Iohanne Schitler Crossæo, Artis Medicæ Doctore.

VVITEBERGAE.

Ex officina typographica, Viti Creutzer.

1563.

IOHANNES STIGELIVS.

Fama fidem fecit, Minoïdos atria Crettæ,
Irremeabilibus plena fuisse dolis.
Sæpè quis ambages intrans, fraudesq; uiarum,
Nequaquam fallax inde relegit iter.
Solus ad Aegides comitantia fila secutus.
Dicitur ambiguas isse, redisse uias.
Sic, nisi te reliquas Dialectica ducat in artes,
Semper in ambiguum te trahet error iter.
Hæc oculis hominum nebulas abstergit, & illos,
Seiuncta à falsis cernere uera docet.
Hæc caput Aonias cupienti efferre per artes,
In dubijs præbet fila sequenda uijs.
Dum potes, et licitum est, hæc arripe fila iuuentu
Præbeat ad Musas hæc ariadna uiam.
Quod si in Vere tuæ neglexeris indolis illam,
Nulla tibi autumni tempore messis erit.



ILLVSTRISSIMO

Principi ac Domino, D. Iohanni Marchioni Brandenburgensi, Duci Stetinensi, Pomeraniæ, Cassubiorum & Vandalorum, Burggrauio Narimbergensis &c. domino & Mecœnati suo clementissimo, Iohannes Schitler, D. & Notarius publicus. S. D.



TOLOMæus Philadelphus qui ab historiographis tãtopere laudatur, non tam ex amplissimo et locupletissimo regno (quamuis optimam reipub. formam instituerat) quam ex bibliotheca instructissima gloriari solebat, quam singulari studio & magnis impensis plenam & refertam omnis generis librorum construxerat. Non enim fuit ignarus Rex prudentissimus, multos ante se fuisse & multos futuros esse, qui maiore potentia præditi & ad acti-

orem dignitatis gradum uenturi essent, quare ex hac sola laudem sibi quærere, & æternum sibi monumentum conciliare uoluit tanquam ex re honesta & uiro Principi digna.

Aluit uiros doctos & honestos quam multos, inter quos præcipuus fuit Demetrius Phalerensis, tum Philosophus, tum Orator insignis, cuius diligentia & opera multa uolumina perspecta & diligentius perscrutata conscribebantur, & ex toto orbe terrarum congesta Alexandriam ferebantur, ut de die in diem bibliotheca fieret instructior ac preciosior. Quapropter & ex Hyerosolima uocauit uiros 72. quorum opera in suam linguam ex Hebræo Biblia sacra translata sunt. Ad quam postea uniuersa Græcia & Asia, qualem totus orbis terrarum non habebat tanquam ad æneam statuam Polycleti artifices confluebant, qui cum benignè & humaniter ab ipso essent excepti & liberaliter tractati, gratitu-

dinis

nis ergò & præsentes & absentes no-
ien ipsius usq; in cœlum euexerunt,
& ita immortalitatem sui nominis conse-
itus est. Durauitq; hæc usq; ad pri-
ium Alexandrinorum & Romano-
um bellum.

Huius prudentissimi Regis consi-
lium nullo modo est detestandum, sed
ptius magnifaciendum, laudandum
& imitandum tanquam opus Deo gra-
tum & acceptum, per studia enim pro-
pagatur uera doctrina & homines ad
ueram Dei agnitionem ueniunt, sicut
on dubium est & hunc Ptolomæum,
ui cum studiosè inquireret de omni-
n gentium, relligionum & artium ori-
ine, eadem hac ratione ad ueram fidem
onuersum esse. Hæc (omissa iucun-
tate) adeò sunt necessaria tam in Ec-
lesiastica quam politica gubernatione,
t sine illis uita omnino nulla esse posit.

Etsi Philosophia aut nihil aut ad-
odum pauca de Deo & de relligione
quitur, tamen uera Philosophia osten-

dit hanc mundi machinam aut σύστημα, non ortum eſſe ex atomis caſu, aut ex Deucalionis lapidum iactu poſt tergum, ſed eſſe mentem æternam architectatricem, quemadmodum Plato affirmat eſſe mentem æternam cauſam boni in natura, quæ deinde ex ſacra ſcriptura uerum fundamentum, quis ſit uerus Deus & quæ ſit eius uoluntas, petere debet.

Proſunt etiam liberalia ſtudia gubernationi Politicæ & rei militari. Idcircò Romani ſuos liberos ſtatim à primis cunabulis inſtituebant, ut intra annum decimum quintum aut ad ſummum uiceſimum ſecundum græcæ & latinæ linguæ eſſent periti & omnibus liberalibus diſciplinis præditi, illicò in militiam tradita in manum reipub: admini ſtrandæ functione, abigerunt.

Inde fiebant homines ſapientes & fortes, qui toti reipub: poſtea præerant et ſu- uiribus totum ferè mundum patriæ adi cerunt, ut Scipiones, Catones, Fabij &c. Vnde Cicero inquit: Neminem ne-

duce

lucem in bello, neq; principem domi
nagnas res & salutares sine hominum
tudijs gerere potuisse. Hoc & græ-
orum principũ iudicium testatur, quan-
lo certamen erat inter Vlyssem & Aia-
cem de armis Achilleis, ubi Vlisi arma
iddicuntur, quod uidelicet plus præstite-
rit corpore non ualens, ingenio & consi-
io, quam Aiax robore corporis & animi
fortitudine.

Sic & Carolus quintus, etsi cor-
pore æger & squalens, tamen suos hostes
diuina quodam afflatu astutis consilijs
superauit. Vbi autem simul concur-
runt & sapientia quę comparatur studijs,
& robur corporis, quæ ex iusta symetria
qualitatum proficiscitur, fiunt bellatores
celebriores, ut Alexander Magnus, Iuli-
us Cæsar &c.

Postea liberales artes locum habent
in proprio corpore, formant enim mo-
res & animos, feros reddunt mitiores &
humaniores, & sunt magistræ omnium
uirtutum.

Sunt etiam ſolatio in omnibus rerum anguſtijs, difficultatibus temporum & animi angoribus, quod Cic. adfirmat V. de finibus. Multi cum eſſent in poteſtate hoſtium ac tyrannorum, multi cum in cuſtodia, multi in exilio dolorem ſuum doctrinæ ſtudijs leuarunt. Deniq; liberales artes faciunt hominem immortalem. Nam etſi homo ex hac miſera & calamitoſa uita auocatur in æternam conſuetudinem, ubi æterno conſpectu Dei fruetur, tamen fama & gloria comparata artibus liberalibus non moritur, ſed eſt uiuax & ad poſteritatem propagatur.

Merentur etiam ſæpe toti ſuæ familiæ pacem & tranquillitatem, ut quando in excidio Thebano captiui uidelicet 30000. numero ſub corona uendebantur ab Alexandro Magno, pepercit tantum Pindaricæ ſtirpi ob liberalium artium ſtudia ſicut Plutarchus refert.

Hæc omnia iam recitata complectitur Cic. unica ſententia in oratione

pro

pro Archia ubi ſtudia laudat. Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium atq; ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur & ruſticantur. Quid ſplendidius & honeſtius de re quapiam dici poſsit? quæ res homini liberali dignior? Hæc formant mores adoleſcentum, his comparatur uictus & amictus, tandem cum ſenium ſolum nunquam ueniat, ſed ſemper habeat ſatellites, illas moleſtias leuat & exhilerat ſenium.

Quapropter ſumma repræhenſione & odio digni ſunt contemptores tantarum rerum, quarum uſus in uita tam latè patet, quales ſatis multi in hac extrema mundi ſenecta inueniuntur, qui honeſta ingenia quæ artibus ſeſe deuouerunt aut contemnunt furore diabolico, aut ea retrahere ſtudent. Sunt autem ut plurimum Cyclopes ignari, quia artes non habent inimicos

ignorantes, qui dulcedinem ipsarum non degustarunt, & hoc differunt â doctis (ut Aristoteles respondit interrogatus) quo mortui â uiuentibus, Et Cic. lib. 1. de Inuentio: asseuerat homines â bestijs præstare doctrina.

Si igitur mortuis & bestijs similes esse nolimus, quod omnes nolle debemus, quia Deus hominem distinxit tribus præcipuè rebus â bestijs, mente, sermone & incessu, summa diligentia, summo conatu studere debemus, ut si non omnes Philosophiæ partes, tamen præcipuas discamus, sine quarum cognitione nihil integrè aut solidè, neq; discere neq; alios docere possumus.

Verum δοξοσόφοι cum uix artem aliquam extremis digitis attigerunt, omnia sese intelligere existimant, cupiunt omnia regere & esse iudices, & ut omnes sibi sint subiecti, contemnunt præ se alios etiam doctiores, gignunt noua dogmata, captant aurem popularem, Omneq; suum uirus in eos quos odio persequuntur

tur propter insignes & conspicuas uirtutes euomunt, quos cupiunt opprimere, ut ipsi magni fiant, quia ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν μήποτε γενήσεται δράκων, inuident aliis sua dona, quia πρὸς τὸν ἔχονθ' ὁ φθόνος ἕρπει, adiungunt sese aliis quorum authoritate sese fulciunt & sustentant, & quasi tument persuasione scientiæ, & tamen simulant simplicitatem, pietatem, amorem & uerum zelum erga Deum & Ecclesiam, sed reuera sunt βαυγοπανοῦργοι pleni liuoris & maleuolentiæ.

Sed cum uera uirtus tantum radices agat, nihil autem simulatum sit diuturnum, cognitis ipsorum adulatione, blanditiis, assentatione & βαυγοπανουργία, detruduntur iterum à sua sese quam malis artibus consecuti erant, ex quo deinde casu pudore suffunduntur suæ insolentiæ & superbiæ necesse est, Deum enim non habent adiutorem gubernantem ipsorum actiones, quare sunt inanes & irritæ, ut Christus inquit: Sine me nihil potestis facere. Et Pindarus

datus, ἐᾶ πόλεμον, μάχαν τε πᾶσαν χωρὶς ἀθανάτων. Et Euripides: ἀρετὴ δ' οὐδὲν φέρει βροτοῖσιν, εἰ μὴ τὸν θεὸν χρήζοντ' ἔχει, confidunt ſuis uiribus, ſuæ ſcientiæ & prudentiæ, non petunt gubernationem & auxilium à Deo, quale exemplum eſt in Aiace notatu dignum, qui cum à parente inſtitueretur, ut ſi quid uellet in bello fœliciter aut præclare gerere & alios excellere, quod ſemper deberet rem aggredi cum inuocatione Dei. Ibi ſuperbè reſpondet Aiax, ſe non indigere diuino auxilio, ſed ignaui ſolent inuocare Deum, ut fortitudinem & animi robur illis largiatur, qui deinde ſuæ inſolentiæ & ſuperbiæ dat pœnam. Ζεὺς γὰρ μεγάλης γλώσσης κόμπους ὑπερεχθαίρει. Et Pin: λοιδορῆσαι θεοὺς ἐχθρὰ σοφία.

Econtra, Etſi pij doctores à membris diabolicis perſequuntur, fama ipſorum laceratur conuitijs & calumnijs, tamen non poſſunt opprimi, ſed ſeſe erigunt tanquam palma, quæ quantò magis præmitur, tantò magis oneri reluctatur & inſurgit, honor & gloria illorum ſubinde

ſubinde fit lucidior & ſplendidior, quia in illis nihil eſt ſimulatum. Deus enim tales cingit ſua authoritate & caſtorum Angelorum cuſtodia, ſicut Eliſæum, qui cum eſſet cinctus undiq; hoſtibus, nec eſſet ulla ſpes euadendi, cæcitate hoſtibus percuſsis liberatur. Sic & Doct. Mart. Luth. (piæ memoriæ) cuſtoditur ab Angelis, ut neq; diaboli, neq; Papa, neq; eius ſatellites ei nocere queant. Huiusmodi labores ſunt ſalutares, quia uerè quærunt diuinum honorem, & Eccleſiæ utilitatem, non propriam gloriam et opes affectant ſicut priores, Itaq; diriguntur & gubernantur ipſorum conatus à Deo, iuxta illud Nazianzeni: θεοῦ διδόντος οὐδὲν ἴσχυει φθόνος, καὶ μὴ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει κόπος.

Hæc ad tuam Celſitudinem Illuſtrem ſcribere uolui de æterna laude Ptolomæi comparata ex bibliotheca inſtructiſsima, & de utilitatibus artium, quia non ſum ignarus multos præclaros heroes in T. C. familia fuiſſe & adhuc eſſe qui eandem laudem conſecuti

ſunt,

sunt. Primum quod foueant Ecclesiam & hospitia ei præbeant, considerantes Esaiæ dictum. Reges erunt nutritores tui et Reginę nutrices, et quod magnis sumptibus atq; impensis bibliothecas et scholas instruant, quæ laus illustrissime Princeps C. T. proauo Marchioni Alberto Electori, qui in historijs Germanicus Achilles appellatur, attribuitur non solum propter tot bella summa cum laude et fœliciter gesta et confecta pro Romano imperio, sed & propter studium eloquentiæ, qui præ cęteris excelluit. Et hæ uirtutes quasi hæretitaria successione ad T. C. peruenerunt, quas C. T. subditi imitari pro uirili cupiunt, qui ipsi non minori cura & diligentia iusticiam in politica sua administratione excolunt & tuentur, ueramq; relligionem ad posteritatem propagare student, Nam Claudianus inquit.

componitur orbis.

Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta ualent, quam uita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe uulgus.

Quam

Quam ob cauſam magnis impen-
ſis & ſumptibus miniſtros tum Eccleſia-
ſticos tum ſchôlaſticos alunt, ut ſtatim
à pueritia iuuentus recté & pié inſtitua-
tur. Inſuper etiam bibliothecas inſtru-
unt, ut haberet poſteritas quaſi theſau-
rum, unde libros neceſſarios totum do-
ctrinæ corpus continentes, ſi forté iniuria
temporum interirent petere poſſet, Sicq;
nullis ſumptibus parcunt, neq; in com-
parandis libris, neq; in Euangelij & ſcho-
larum miniſtris alendis eruditione, pie-
tate, ſapientia & uirtute præſtantibus,
meritó igitur nominantur Patres. Pro
quibus beneficijs ſummis ſinguli grati eſ-
ſe debent.

Vt autem gratitudinem meam ex-
hiberem erga patriam uidelicet Croſſem,
in qua uſq; ad annum 14. ætatis libera-
liter honeſtéq; ſum educatus & inſtitu-
tus, ac poſtea cum principia artiū dicen-
di tenerem iuditio meorum pręceptorum
quos tum temporis habebam ad Acade-
mias miſſus, ubi in hunc uſq; diem mea
ſtudia urſi non dubitaui ſumma cum dili-
gentia

gentia et labore in uſum ſcholæ Croſſenſis, & meorum conterraneorum præcepta Dialectices congerere & ad optimos quosq; authores accommodare, qui ſi ea rectè perceperint à ſuis præceptoribus, poſtea ſuo Marte abſq; omni labore & difficultate, & alios qui de hac arte fuſius ſcripſerunt, intelligere poterint.

Has autem meas lucubrationes & quidem primitias V. C. tanquam domino ac Mœcenati meo clementiſsimo dedico, quas ut animo candido ac beneuolo C. T. amplectetur & ſuſcipiat, etiam atq; etiam rogo, et cum nihil adeò tutum ſit aduerſus calumnias, C. T. me meaq; ſtudia tueari & fouere dignetur. Ego uero uiciſsim gratitudinis ergo orabo Deum optimum maximum, ut largiatur C. T. regimen fœlix & tranquillum, ſeruet etiam diu C. T. incolumem, & inſignes atq; heroicas uirtutes in poſteros propaget.

Datæ Vuitebergæ 14. Cal. Ianuarij, Anno 1558.

DE

DE DIALECTICA.

LIBER PRIMVS.

Quis est usus Dialectices?



Vius artis usus permagnus est in omni uita, Nemo enim de re qualicunq; cum grauitate & dignitate dicere potest sine Dialectica, sed tamen in primis illis opus est, qui sustinent munus docendi, nam tradit tionem informandi methodum de qualibet re, tendit quomodo singulæ res sint explicandæ per finitiones, causas & diuisiones. Deinde trat & formas argumentandi ut res ueras confirare, falsas uero refutare sciamus. Idcirco Plato quit: Dialecticam oculos humanos in barbaricum enum infossos paulatim attollere & aspergere, ut einde acutius iudicent. Idem de Repub: Spurios hilosophos uocat, qui sine Dialectica alias artes iscere aut profiteri se posse affirmant. Idem

Methodum, quæ in Dialectica traditur, uocat ignem de cœlo allatum, qui præluceat ad cernandam ueritatem, atq; hanc unam esse uiam sapientiæ ad ueram, certamq; noticiam diuinitus monstratam mortalibus. Et Cicero 2. de legibus dicit unam Dialecticam continere, quid in quaq; re sit perspiciendum & iudicandum scientiam. Socrates quoq; adfirmat, si quem uideat Dialecticæ bene peritum, hoc est, sapienter definientem & diuidentem, eius se uestigia tanquam Dei sequi solere. Iamblichus in Epistola ad Sopatrum Dialecticam nominat munus deorum, cum sic inquit: πάντες ἄνθρωποι χρῶνται τῷ διαλέγεσθαι, ἔμφυτον ἐκ νέων ἔχοντες τὴν δὲ τὴν δύναμιν, καὶ μέχρι τινὸς οἱ μὲν μάλλον, οἱ δὲ ἧττον αὐτῆς μετέχοντες, τὸ δὴ τῶν θεῶν δῶρον ἀυδένα τρόπον δεῖ προΐεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἐν μελέταις, καὶ ἐμπειρίαις, καὶ τέχναις ἄυτο κρατύνειν ἄξιον *&c. h. e. Omnes homines disputatione utuntur, insitam hanc facultatem à pueris habentes, & aliquatenus omnes, alij magis, alij minus eius participes sunt: Quamobrem deorum munus haud quaquam negligendum est, sed meditatione, experientia & arte confirmandum.*

Est ne difficilis & intricata hæc ars Dialectica?

Non

Non. Etsi ex Memorabilibus Se rini citatur Versus, qui iubet uitare Dialecticam, διαλεκτικὴν φεῦγε, συγκυκᾷ τα πάντα, hoc est, Dialecticam fuge, susq; deq; confudit omnia. Et Ariston Dialecticam aiebat luto uiarum similem esse. Nam & lutum inutile cum sit transeuntes prosternit. Idem etiam Dialecticorum sermones aranearum telis conferebat, ut qui subtiles admodum, sed inutiles essent: Tamen nullo modo nos deterrere sinamus de hac arte, sine qua nulla Philosophiæ pars comparari potest ulla ratione, quod experientia testatur. Est enim uia & semita quædam qua utimur in intricatis quæstionibus dilucidè & distinctè explicandis, quando uidelicet inquirimus definitionem, partes, causas & effectus, deinde quando argumenta construuntur iudicat, quid cohereat in bona consequentia, quid non cohæreat, quæ sint argumenta firma & necessaria, quæ infirma & non necessaria.

Quæ est causa impulsiua?

Causa impulsiua quæ nos mouere & excitare ad discendum debet est mandatum Dei, quod præcipit studia doctrinæ. Iohan. 14. Si quis diligit me, &c. .i. qui uolent mihi gratos cultus præstare, illi erunt custodes doctrinæ à me traditæ, sonabun-

nabunt sermonem meum. Cum hoc dicto congruit uox Pauli ad Timotheum, cui scribit, Depositum serua, hoc est, Ego tradidi tibi certum genus doctrinæ de Dei essentia & uolumtate, hoc ut conserues et retineas diligenter attende, nec admittas ullam aliam doctrinam quæcunq; sit. Si igitur uolumus uersari in numero eorum, qui diligunt Deum, sciamus nobis uersandum esse in audiendo, legendo, discendo & considerando, & sciamus custodiendum esse genus doctrinæ traditum per Prophetas, Christum & Apostolos. Scripta uero Prophetarum & Apostolorum intelligere & explicare non possumus sine literarum cognitione, & in explicatione in primis opus est cognitione linguarum, ut phrases scripturæ rectè & aptè intelligantur.

Quæ est causa finalis?

Causa finalis principalis est, ut hic noster labo prosit alijs, & conseruetur ministerium Euangel Minus principalis. Est nobis studendum, ut tue mur locum honestum in repub. Deinde ut piè e honestè nobis comparemus uictum, & res necess rias ad uitæ conseruationem.

Est n

Eſt ne Dialectica ars uel ſcientia?

Hæc quæſtio à multis acriter eſt exagiata, d res plana & perſpicua. SCIENTIA eſt oticia certa acquiſita per demonſtrationes. rs uero eſt noticia regens fabricationem. Eſt rgo Dialectica ſcientia, quatenus habet aliquas emonſtrationes, ut hæc eſt demonſtratio, quod neeſſe ſit ſyllogiſmum conſtare ex tribus terminis. em quod in ſyllogismo ſint tantum tres propotiones. Item quod tantum tres ſint figuræ ſylloismorum, &c. Hæc ſunt tam certa atq; geomeicæ demonſtrationes. Sed eſt ars quatenus transrt præcepta ad uſum, ut in explicatione tantum eceſſe eſt ſequi probabilia. Ideo ab Ariſtotele noatur organon.

Cum omnes artes diuidantur ab Ariſtotele 2. cap. 6. Ethicorum in ſpeculatiuam practicam & poeticam, ad quam itaq; referenda eſt Dialectica?

Speculatiuæ ſunt, quæ non principaliter, aut mmediatè regunt actiones in uita, ut Aſtronomia.

Practicæ quæ regunt actiones morales, ut thica, Politica, Oeconomica.

Poeticæ uero quæ regunt fabricationem, quæ efficiunt opus aliquod, ut architectonica, sutoria et artes mechanicæ. Respondeo igitur planißime. Dialectica est ars Poëtica, quia est instrumentum quo efficitur aliquod opus.

Quid est Dialectica?

Dialectica est ars seu uia propriè, perspicuè & distinctè docendi, uel

Dialectica est ars definiendi, diuidendi & argumentandi. Prior definitio sumitur ab officio, posterior uero ex partibus constat.

Dialectica vnde nomen habet?

ἀπὸ τοῦ διαλέγομαι, hoc est, colloquor, disero, disputo, germanice, sich mit einem unterreden. Componitur autem disputo à dis & puto, quod propriè est porgo, recido superflua, ut puto arbores hoc est, reseco, inde putum, id est, purgatum & purum. Iuuenalis: Paucula si portes argenti Vascula puti. Translatè usurpatur de actionibus mentis & significat cogito. Nam mens cogitando superflua quodammodo recidit. Et computo, id est, confero cogitationes seu rationes. Et nonnunquam simplex pro composito usurpatur. Plautus. Ratio putatur cum argentario, id est, confertur Et disputo, h. est, diuersas rationes siue cogitationes confero

ſtro cum alio. Diſſerere eſt ordine aliquid explica-re, diſtincte & proprie de negotio loqui, unde diſſertus qui negotium proprie & perſpicue explicat unde Dialectica, eine unterrede Kunſt, Non eſt rixare aut altercari mit einem puchen, quod eſt cum animo irritato contendere, nō inquirere placide quid uerum & iuſtum ſit, ſed conari concertatorem opprimere, unde concertatio ſæpe in uitia erumpit, Quintilia: lib. 6. Rixari eſt cum conuitia admiſcentur animis irritatis, ad huiuſmodi ſpinoſum & contentioſum diſputatorem iſtud Homeri carmen dixit Theocritus: ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν, κἀκ ἀνθρώπων ἀπόλοιτο hoc eſt, Lis utinam pereat inter hominesq; deosq;.

Quot ſunt officia Dialecticæ?

Tria ſunt eius præcipuè officia.

Primum eſt definire h. e. exponere quid res ſit,

Secundum eſt diuidere h. e. explicare per partes.

Tertium eſt argumentari h. e. alia ex alijs colligere bona conſequentia. In his tribus uniuerſa docendi ratio conſiſtit, obſcura definitione euoluuntur & patefiunt. Ambigua diuiſione explicantur. Dubia aut probantur aut improbantur argumentando.

Quot sunt partes Dialecticæ?

Duæ, κριτικὴ καὶ τοπικὴ.

τοπικὴ est ars inueniendi. Nam ostendit locos è quibus tanquam è thesauro argumenta & dicendi materiæ depromantur.

τοπικὴ latine dicitur localis, quia ostendit domicilium & sedem locorum. κριτικὴ dijudicatrix, Est ars dijudicandi de consequentia. Est autem consequentia coherentia partium & membrorum in argumentatione. Nam præscribit certas formas, docet argumenta in eas formas includere, ut poßint depræhendi et dijudicari num membra orationis cohæreant, an secus, sit ne forma consequentiæ, an sit uitiosa argumentatio & cauillatio sophistica.

τοπικὴ natura prior est, primum enim necesse est inuenire, deinde iudicare. Hanc rationem & Rodolphus seruat, primo loco tradit artem inueniendi, deinde artem iudicandi. Quod autem κριτικὴ in scholis prima traditur, fit ideo, quia τοπικὴ non potest intelligi nec doceri, nisi prius explicatis & declaratis uniuersalibus, Genere, specie, proprio, differentia & accidente, quorum tractatio & expositio ad κριτικὴν pertinet, quare & ordo à scriptoribus doctis est mutatus propter utilitatem discentium.

Quid

Quid inter est inter Dialecticam & Rhetoricam?

Sunt maximè cognatæ artes, & Aristoteles dicit, illas inter se esse connexas sicut rami arboribus. Nihil interest quod ad materiam attinet, sed differunt in modo tractandi argumenta. Dialectica rem nudam breuiter & simpliciter ostendit, inquirit quid propriè de causa dici debeat, studet proprie, perspicue & distincte loqui de negotijs, iuxta dictum, Sapiens proprie loquitur. Rhetorica uero addit elocutionem, & ornatum tanquam uestitum uerborum & sententiarum. Studet efficere ut res magnæ tantæ esse uideantnr quantæ reuera sunt. Cicero de claris oratoribus argute discrimen harum artium ostendit, sic inquiens Studiosißime exercebar in Dialectica, quæ quasi compacta & constricta eloquentia est, id est, Dialectica rem simplicißime exponit, non addit lumina uerborum & gestus orationis. Idem in lib. de oratore ad Brutum dicit .Zeno Stoicus manu demonstrare solebat, quid inter Dialecticam & Rhetoricam interesset, Nam cum compresserat digitos & pugnum fecerat, dixit Dialecticam esse, sed cum iterum extenderat & palmam fecerat, dixit Rhetoricam esse. Exempli gratia sumamus primum Psal-

mum. Dialecticus simpliciter ita dixisset: Vera Ecclesia est cœtus amplectentium Euangelium & refutans errores pugnantes cum Euangelio. Sed ille primo recitat propositionem, Beatus uir qui non &c. Recitat antithesin ueræ Ecclesiæ & falsæ. In lege domini uoluntas) id est, qui habet bene placitum in tota doctrina diuinitus tradita. Ita dicit: Iste est beatus, qui est ueræ Ecclesiæ membrum & delectatur doctrina diuinitus tradita, Nam uocabulum legis in Psalmis significat totam doctrinam traditam diuinitus per Prophetas & Apostolos. Erit sicut lignum) Amplificatio à simili. Postea addit antithesin impiorum, Non sic impij non sic. Postremo addit epiphonema, Quoniam nouit dominus uitam iustorum.

Tale exemplum uidere est in oratione pro Archia, ubi Dialecticus simpliciter diceret: Omnes incitantur gloria ad res gerendas. Sed Cicero ut orator multis figuris & amplificationibus istam propositionem illustrauit, quia oratoris est non tantum inclinantem erigere, aut stantem inclinare, sed & tergiuersantem & repugnantem.

DE OBIECTO SIVE Materia.

Dialectica non tradit res ipsas, sed tradit methodum, ordinem & uiam qua utendum est in disputatione & explicatione earum rerum, quæ uersantur in artibus omnibus. Materia tria significat. Primo significat obiectum circa quid uersatur. Secundo significat id ex quo fit aliquid, ut ex ligno fit statua. Tertio significat ligna destinata ad ædificandum.

Circa quid uersatur Dialectica?

Circa quæstiones omnium materiarum uel negotiorum de quibus docendi sunt homines, ut Arithmetica uersatur circa res numerandas. Geometria circa omnes res quæ metiuntur. Est autem quæstio (authore Boetio) dubitabilis propositio. uel est uocabulum uel propositio de qua inquiritur

Quod sunt genera quæstionum?

Duo. Aliæ enim sunt simplices, ubi de uno aliquo uocabulo disputatur: ut de lege, pœnitentia, Euangelio, &c.

Aliæ sunt coniunctæ uel compositæ, quando uidelicet de integra propositione quæritur, ut, an uirtus sit finis hominis, An liceat bellum gerere aduersus Turcam cum sit uerula diuina, hoc est, instrumentum seu flagellum, quo Deus nos castigat. Hæc argumentando aut probatur aut confutatur, Illa & definitione & diuisione explicatur.

Exempli

Exempli gratia. In doctrina Ecclesiæ disputatur quid sit Baptismus? Est quæstio simplex, h. e. est interragatio de uno uocabulo. Sed deinde quæstio coniuncta est, An infantes sint Baptisandi? Ista materia non nascitur in Dialectica, sed transfertur ex Theologia in Dilaecticam. Dialectica est organon & instrumentum, quod monstrat quomodo ea materia ordine explicari potest, Primo ergo definit baptismum, dicit: Baptismus est Cæremonia à Deo instituta, cui est annexa promißio propria Euangelij, qua Deus hominem mersum in aquam recipit, remittit illi peccata, donat ei uitam æternam, & qua mersus in aquam obligat se obtemperaturum esse uero Deo, eum uelle agnoscere & celebrare. Est enim sensus uerborum quæ recitantur in Baptismo: Ego baptizo te in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, h. e. Ego ex mandato æterni Patris baptizo te in nomen, id est, in agnitionem & celebrationem ueri Dei. Nam nomen apud Hebræos significat celebrationem. Ego te infantem mergo in aquam, testificor te recipi à uero Deo, qui est pater domini nostri Iesu Christi, qui est filius & Spiritus sanctus. Deinde quærit, An infantes sint baptisandi, & concludit quod sint, Quia extra Ecclesiam nulla est salus. Infantes sunt membra Ecclesiæ, ergo Ecclesiæ sunt inserendi

per baptiſmum, quia clare dicitur, Iohan. 3. Niſi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu non intrabit in regnum cœlorum. Item : Sinite paruulos ad me uenire, talium eſt enim regnum cœlorum. Poſtea diluit obiectionem, Baptiſmus ſine fide nihil prodeſt, Infantes non habent fidem, Ergo non ſunt baptiſandi : Reſpondeo ad minorem, Spiritus ſanctus eſt efficax in infantibus per Baptiſmum, efficit in eis fidem & aliquos motus pro ipſorum modo. De his quæſtionibus Regula obſeruanda eſt. IN OMNI QVÆSTIONE quærenda eſt ratio dubitandi & decidendi. Decidere quæſtionem, eſt exponere ſuam ſententiam quid ſentiat, ut an infantes ſint baptiſandi. Primum quærenda eſt ratio dubitandi, quia infantes non habent fidem. Sed decidatur quæſtio, quod nimirum ſint baptiſandi, quia non poſſunt alio modo inſeri in Eccleſiam quam per baptiſmum.

Item, Vtrum ſudor ſanguineus in paßione Chriſti fuerit naturalis? Non naſcitur iſta materia in Dialectica, ſed ex Phiſicis affertur. Exiſtimatur non fuiſſe naturalem, quia manifeſtum eſt ſanguinem in mœſticia & dolore recurrere ad cor tanquam ad uitæ fontem & conari ei ferre opem. ut ſinguli in uero dolore ſentiunt immenſum onus & compreßionem circa pectus. Id propterea acci-

cidit,

cidit, quia cor comprimitur illa mole sanguinis. Cum autem in Christo fuerit magnus dolor, igitur non uidetur hunc sudorem fuisse naturalem. Deinde experientia etiam compertum est, cum in doloribus animi & consternatione incisa esset uena, quod nullus potuerit elici sanguis, postea nullum exemplum in tota natura rerum extat. Decisio. Fuit naturalis, Probo, quia etsi uerum est sanguinem in mœstitia recurrere ad interiora, tamen cor simul habet etiam hanc facultatem à se repellendi sanguinem, & in naturis heroicis robustis & fortibus qua maior fit compreßio cordis ex concursu sanguinis, eò maior quoq; deinde fit resolutio & expulsio sanguinis, sicut apparet in carne cruda, quã quo arctius comprimimus, eò largius effluit sanguis. Cum autem Christus fuerit fortißimus, & habuerit corpus heroicum & non corruptum neq; labefactum per peccatum, consentaneum est in eo fuisse uigentes motus spirituum, qui illum humorem uicißim expulerunt.

Aristoteli est usitatißimum dubitare in quæstionibus. Primo enim recitat aliorum opiniones, postea ponit decisionem, ut in illa quæstione, An in nobis debeat esse φιλαυτία. Aliqui affirmant quod debeat esse, sed ille respondet, quod non debeat esse.

Quæstio simplex declaratur per diuisionem.

Nolite iudicare & non iudicabimini.

I Respondeo per distinctionem. Alia iudicia sunt Politica seu forensia diuinitus concessa Magistratui, Iuxta illud, Qui gladium acceperit gladio peribit, Roma. 13. Sit honori bono operi & terrori malo operi.

II. Alia sunt Ecclesiastica. Nam sacerdos debet omnes pollutos et reos sceleribus arguere uoce legis et categoricè proponere quod omnes sint damnati nisi egerint pœnitentiam. III. Alia sunt fraternæ admonitiones. Debemus delinquentes placidè & amanter admonere, ut redeant in uiam & credant in filium Dei, quod si facere noluerint, dicamus eos damnatos esse. Ista iudicia sunt diuinitus concessa & mandata. IIII. Sed quando alterius rectè facta & ambiguè facta detorquentur in partem peiorem sine causa probabili, id non est concessum neq; licidum, sed seuerißime prohibitum.

De prædicabilibus.

Officium Dialectices est docere, Id fit definiendo, diuidendo, argumentando & refutando, Primum autem dicitur de definitione. Et quia definitiones non possunt intelligi neq; constitui sine cognitione prædicabilium. In definitionibus enim necesse est uocabula angustiora per communiora,

latiora

latiora & notiora explicari; Ergo necesse fuit primum tradi doctrinam de prædicabilibus. Sunt autem communia uocabula, quæ pluribus rebus accommodari possunt, & ad plures res transferuntur, ut animal ad hominem rationalem, leonem, asinum, canem, breuiter ad omnia quadrupeda, uolatilia & aquatilia.

Vocabula angustiora uero dicuntur quæ nequiunt pluribus rebus accommodari, sed uni tantum rei attribuuntur, ut rationale ac risibile solum homini conuenit.

Quid est prædicabile?

Prædicabile est uox seu communis terminus qui de pluribus uniuoce, id est, eadem substantia, ratione, ui, natura & significatione prædicatur.

Quid est prædicare?

Prædicare est aliquid alicui attribuere atq; communicare, ut pax etiam iniquißima tamen bello præferenda est.

Quot sunt prædicabilia?

Quinq;. Species, Genus, Differentia, Proprium & Accidens. Dicuntur & uniuersalia, quia multa complectuntur & compræhendunt. Sunt enim tituli discernentes uoces quales sunt in præ-

dicamentis

icamentis ſecundum magis commune, aut minus, t in prædicamento ſubſtantiæ ſunt uoces, Plato, omo, animal, rationale, ſentiens, &c. Illas uoces rædicabilia diſcernunt, non nomen ſingulare, uod non prædicatur de pluribus, ut Plato.

Quare tantum quinq; ſunt prædicabilia & non plura aut pauciora?

Quinq; tantum prædicabilia ſunt, quia omne uod prædicatur de alio uel conuerti poteſt & roprium dicitur. Vel non poteſt conuerti cum ſua pecie nec ſeparari, & eſt differentia, uel prædicaur de pluribus ſpeciebus differentibus, & fit geus, uel prædicatur de numero differentibus, & eſt pecies, uel id quod prædicatur de alio ſeparari po eſt citra ſubiecti corruptionem, & accidens.

Quare INDIVIDVVM non eſt prælicabile, quia non prædicatur uniuocè de pluribus, ed tantum de ſe ipſo, uel ſe ipſum notat & indiat, deinde quia eſt prima ſubſtantia quæ de alio dici non poteſt teſte Ariſtotele. Eſt itaq; indiuiduum uox una & certa, quæ uni rei ſoli conuenit. ut Bartholomeus, Iohannes, Petrus, Paulus, &c. cuius ſubſiſtere non eſt alterius ſubſiſtere. Etſi multi ſunt Iohannes, & multi Pauli appellatione, tamen

uere est indiuiduum, quia Dialecticus non de appellatione, sed de singulari loquitur quod subsistit. Dialecticus enim appellatione, intuetur res. Idem autem significat Dialecticis, quod Grammaticis nomen proprium, Sed tamen indiuiduum Dialecticum & Grammaticum differunt eò, quòd Dialecticum sæpe tota oratione rem denotat, Grammaticum uero una uoce constat. Ab indiuiduis proceditur ad species. Cum autem indiuiduum caret nomine, circumloquimur id per uocabulum commune & per pronomen demonstratiuum, ut iste equus.

REGVLA.

Quicquid existit singulare est.

DE SPECIE.

Quid est Species?

Est nomen commune quod prædicatur de multis indiuiduis in quid est, ut, Petrus est homo, Bucephalus est equus Alexandri Magni, quem em 7800. aureis.

Omne quod definitur est Species. Boëtius.

Significat autem Species propriè formam alicuius rei uel indiuiduorum unam imaginem, qua multis uisis indiuiduis quis in animo concipit p intelligentiam & mentem, & ut speculum al quo

quod refertur imaginem, sic animus concipit & comprehendit eam, quae est cogitatio intellectus. huiusmodi species ab indiuiduis gignuntur, uerum tales formae non sunt reales, hoc est, non existunt in rerum natura, sed imagines in animo conceptae. Nam sensus exteriores apprehendunt tantum singularia, mens deinde erigit & struit uniuersalia. Vt si quis semel atq; iterum uidit leonem, ibi exterioribus sensibus uidelicet uisu apprehendit quoddam singulare, postea uero si in mente considerat simpliciter formam sine colore, sine magnitudine leonis, tunc mens format & apprehendit uniuersale, quia illam formam ad omnia indiuidua accommodare potest. Sic dicit Rodulphus Agricola lib. 1. de uniuersalibus: Nihil enim uidetur aliud esse uniuersale quam aliquid quod in substantia aut essentia alicuius, & cuius simile potest in alterius itidem essentia reperiri. Ideo Cicero ad Marcum Brutum affirmat genera & species non occidere, Verba eius haec sunt: Has rerum formas appellat ideas ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi grauissimus author & magister Plato: easq; gigni negat, & ait semper esse ac ratione & intelligentia contineri, indiuidua caetera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno & eodem statu. Et Aristoteles inquit:

Destructis primis substantijs (nominat autem primas substantias indiuidua) nihil est reliquum de secundis. Secundas substantias uocat species & genera. Si non est ceruus in rerum natura, illa imago cerui in mente prorsus nihil est, Multi acerrimè contenderunt, uniuersalia esse realia, & illam occasionem sumpserunt ex Platonis dictis impropriè acceptis, ut Plato dicit: Illud esse uerum μάθημα habere idæam bonam. Voluit significare omnes uirtutes in hac natura contaminatas & infirmas esse, quæ non respondent ideæ uirtutis, ut Iulius Cæsar, etsi est fortis, tamen longè abest ab idæa fortitudinis. Sic Cicero est eloquens, tamen longè abest ab idæa eloquentiæ. Ita dicit Plato: Illi sunt præstantißimi qui quam proxime accedunt ad idæam uirtutum. Aristoteles posteriorum analyticorum inquit: Valeant ideæ, sunt enim strepitus fidium, & si sunt, nihil ad rem pertinent. Ista inutilis quæstio fuit tenuißime olim exagitata, qua maxime Scotistæ sunt delectati, qui talibus nugis atq; ineptijs multa inuoluerũt et obscurauerunt, et dicere soliti sunt tanquam de re obscura et difficili: De uniuersalibus et modalibus, non gustabit asinus:

Quomodo circumloquimur species?

Vbi species non habet nomen circumloquimur eam per differentias & genus.

Species à Cicerone quomodo nominatur?

Species græcè εἶδος, à Cicerone uocatur forma. Idem de oratore species nominat partes, Sed interest. I. Species refertur ad genus, pars uero ad totum. II. Genus est in singulis speciebus. Totum est in uniuersis partibus, non in singulis. III. Genus de specie prædicatur, Totum de partibus non prædicatur.

REGVLÆ.

I

Sæpe particulæ uniuersales sunt intelligendæ de omni specie, sed non de omni indiuiduo, ut omni petenti da. Ergo omnibus siue habeam siue non habeam dare debeo. Respondeo, Particula uniuersalis intelligenda est non de omni indiuiduo, sed de omnibus speciebus. Sunt autem duæ species amici & inimici, hoc est, tam debes dare elemosinas inimico indigenti quam amico petenti.

II.

Vniuersalis est restringenda ad certam speciem in scriptura, ut, Christus est qui illuminat omnem

hominem uenientem in hunc mundum,hoc,est.quot quot illuminantur, à Christo illuminantur, id est, omnes amplectentes Christum fide illuminantur. Omnes ex plenitudine eius accepimus.hoc est.quot-quot accepimus ex morito Christi accepimus.

III.

Sæpe in scriptura recitantur aliquæ species, ut genus intelligatur, ut 1. ad Timoth. 4. Atten-dite doctrinam dæmoniorum, iubentem abstinere à cibo, prohibentem contrahere matrimonium. Hic duarum specierum mentione, totam molem tradi-tionum humanarum intelligit.

IIII.

Sæpe in Scriptura recitantur aliquæ speci ut in parabola de œconomo laudatur non furtum sed prouidentia. Huius species sunt honesta & inhonesta, ut in Ioseph est honesta prouidentia, in-honesta, ut in œconomo, Memento ut diem Sabba sanctifices, hoc præceptum concionatur de gen re, hoc est, de conseruatione ministerij & cæremo niarum, non de specie, id est, de die septimo.

DE GENERE.

Quid est genus?

Genus nomen æquiuocum est: Nam nunc parentem uel progeniem significat, nunc locum uel patriam, ut ex genere Andriæ, nunc multitudinem ab uno autore nomen habentem, ut à Romulo Romani, nunc qualitatem rei, ut cuius generis sunt hæc. Hic uero in Dialectica significat genus uocem communem continentem sub se minus communiores uoces, hoc est, Species quas in definitione explicat.

Est autem GENVS *nomen commune multis speciebus, de quibus idem prædicatur & in definitione illarum specierum primum occurrit. Vt animal, est nomen commune, species eius sunt, homo, equus, leo, aper, ceruus &c. de quibus omnibus idem dicitur, si quæritur, quid est Leo, rectè respondetur est animal, ita & de reliquis. Sic arbor est nomen commune, species eius sunt, pyrus, fraxinus, pinus, quercus, &c. Genus est frumentum, species eius sunt, ordeum, triticum, auena, Zea, ormimium cereale, heide Korn.*

Quomodo Cicero genus definit?

Genus est quod in plures partes distribuitur, communione quadam similes, specie autem differentes. Vel ut in Topicis: Genus est notio ad plures differentias pertinens.

Quid interest inter genus & speciem?

Hoc interest, Species tantum dicitur de multis indiuiduis. Genus uero non solum de multis indiuiduis, sed & de multis speciebus.

REGVLA.

Quod de specie prædicatur, idem rectè tribui potest & indiuiduo.

Genus Qnotuplex est?

Duplex est { *Genus generaiißimum &* / *Subalternum.* }

Genus generalißimum est siue supremum, supra quod non est uocabulum communius, ut decem Categoriæ, ut substantia, quantitas, qualitas, &c.

Subalternum siue intermedium quod diuerso respectu alias genus, aliàs species uocatur. Nam

respectu

respectu inferioris est genus, respectu superioris est species, ut animal cum refertur ad hominem est genus, cum uero refertur ad corpus animatum fit species. Sic species specialissima dicitur, quæ de pluribus differentibus numero in quid est prædicatur, id est, tantum de indiuiduo, & non potest esse genus. Species sub alterna dicitur, quæ cum sit species respectu superioris, potest esse genus respectu inferioris, Dictum Scholasticorũ: Propositio hypothetica sedet in arbore Porphyriana deuorat genera & species. Est enim arbor Porphyriana series prædicamenti substantiæ.

ARBOR PORPHYRIANA.

Subalterna { Substantia
Corpus animatum.
Animal
Homo.

Species specialissima homo

Indiuiduum, ut Socrates.

ARBOR QVALITATIS.

Qualitas	Genus generalissimum.
Habitus	Subalternum.
Virtus	Specialissima.

 Iusticia

Iustitia Indiuiduum.
Animal à stirpe differt sensu.

Quis est usus generis in communi uita?

Illud præceptum latißime patet in omni uita, quod traditur in libellis Rhetoricis, quod præcipit transferre hypothsin ad Thesin, hoc est, orotionem transferendam esse à specie ad genus, ut quando uolo dicere, an liceat bellum gerere contra Turcas, est hypothesis, quæ ornatius et copiosius exponi non potest quam si transferatur ad thesin. Sunt autem officia magistratus præcipua conseruare pacem, tranquillitatem publicam, disciplinam & tueri gloriam Dei. Quæ omnia cum turbet Turca, & inducat uastitatem toti orbi terrarum, firmißime statuendum est bellum Turcicum et necessarium, pium & diuinitus mandatum & concessum esse.

DE DIFFERENTIA.

Quid est differentia?

Differentia est qua species eiusdem generis discer-

discernuntur. Vel, Differentia est propria rei nata qua secundum id ipsum quod talis est ab omnibus alijs rebus distinguitur. Vel si ualde constrictè loquimur, tunc significat differentia formam substantialem. Vt rationale discernit hominem ab equo, leone, urso, &c. quod est forma substantialis hominis. Sed in hac caligine naturæ, cum formas substantiales non perspiciamus, uocatur omnis nota seu character quoquo modo discernens res conditas differentia.

Vnde sumuntur differentiæ?

Cum uerarum differentiarum maxima sit penuria, sumuntur eæ aut à proprijs officijs, aut à causis & effectibus, aut ab accidentibus aut ab obiectis, ut differentia inter sacrificium ueteris & noui Testamenti, primum & principaliter sumitur à causa materiali, hoc est, Sacrificia ueteris Testamenti offerebant hircos, uaccas & tauros: Sed Christus suum ipsius corpus obtulit in ara crucis, ut dicitur, Qui sese ipsum obtulit pro peccatis nostris. Postea differunt effectibus. Veteris Testamẽti sacrificia purgabant tantum carnem, h.e. dabant locum in illa politia. Sed Sacrificiũ Christi purgat corda, ut dicitur in Actis: Fide purificans corda eorũ. Itẽ: Sanguis filij dei liberat nos ab omnib. peccatis.

Tertio

Tertio Sacrificia ueteris Testamenti proderant tantum facientibus illa: Sed Sacrificium Christi prodest non tantum ei, sed omnibus credentibus, iuxta illud: Vna oblatione consumauit sanctos.

Differentiæ inter beneficentiam Pomponij Attici & uiduæ Sareptanæ, quæ pauit Heliam tempore famis, præcipue tres sunt. Primo differunt causa efficiente. Causa efficiens beneficentiæ in Ponponio est ipsius mens iudicans honestum esse alijs subuenire, Postea uoluntas beneficia obtemperans menti iudicandi & naturalis impetus, qua incitatur ad hanc beneficentiam. Sed uiduæ Sareptanæ, quæ aluit Eliam principalis causa seu ἄιτιον est spiritus sanctus, mouens uoluntatem ut obtemperet uerbo Dei. Secundo differunt causis impulsiuis. Causa impulsiua Pomponij est noticia naturalis insita ipsi, qua iudicat pulchrum esse subuenire egentibus. Sed uiduæ est mandatum Dei.

Tertio differunt causis finalibus. Finalis causa in Pomponio est ipsa uirtus seu honestas, qua iudicat pulchrum esse adiuuare alios: Viduæ causa finalis principaliter est mandatum Dei, deinde ut iuuet ministerium Euangelij, quia longo tempore docuerat, & summa diligentia proposuerat uerbum Dei. Quarto obiectis differunt. Nam Pomponius tantum ijs benefacit, quos carnali more dili-

git

git. Vidua uero id obseruat, quod Christus praecepit, Da omni petenti, quae omnibus egentibus opitulatur pro suis uiribus & facultate.

Quotuplex est differentia?

Duplex { Generalis siue communis. / Specialis siue propria.

Generalis est, quae non uni tantum speciei conuenit, sed & alijs, quare non exacte discernit speciem à cognatis speciebus. Vt esse bipedem, quod etiam Gallo & alijs auibus conuenit. Viuere, quod non solum animali conuenit, sed & plantae & stirpi, quae animam habent uegetatiuam.

Specialis siue propria, quae exacte & proprie speciem discernit & separat ab alijs omnibus. Vt rationale discernit hominem ab omnibus alijs animantibus. Nominatur haec etiam Specifica, quia cum genere speciem constituit & definitionem absoluit.

Quae est utilitas differentiarum?

Valde necessariae sunt differentiae in definitionibus. Nam hae naturam & certam formam speciei positae induunt, nec quicquam in hac rerum

natura-

natura existit, quod non habeat materiam & formam, Forma ad differentiam, materia uero ad genus refertur. Genus autem definitionem non absoluit, sed differentia propria adsit necesse est, quæ rei qualitatem indicat. Deinde genus multis speciebus conuenit, Differentia uero accedit & singulis suam propriam naturam uel qualitatem tribuit, eas à se inuicem separat & deuellit. Vnde differentiæ proprium officium est separare formas eiusdem generis, & res cognatas à cognatis diuellere atq; distrahere, ut si quis definit Iusticiam, quod sit uirtus, non est absoluta & perfecta definitio, quia fortitudo, clementia, beneficentia, misericordia etc. sunt etiam uirtutes. Idcirco cuiq; speciei additur differentia uera, qua quælibet absolutè definitur et ab alijs cognatis separatur, ut, Iustitia particularis est uirtus unicuiq; suum tribuens.

DE PROPRIO.

Quid est proprium?

Proprium est quod uni soli speciei & omnibus eius indiuiduis conuenit, & quod cum specie conuerti potest. Vt doctrinæ capacem esse propriè conuenit homini, Incedere erecto corpore & posse

posse loqui. Hic tamen obseruandum est, Verba in definitione posita non semper actum, h.e. actionem, sed potentiam & dispositionem quandam significare, quæ naturam sequitur, ut, homo est animal rationale quod loqui potest. His uerbis non significatur hominem semper loqui, sed hominem aptum esse ad loquendum. Idem docet Porphyrius de proprio, cum inquit: Quamuis enim non semper ridet homo, tamen aptus ad ridendum dicitur, non semper ridendo sed semper aptum esse. Nam proprium est qualitas secundæ speciei naturalis potentiæ, seu facultas quæ sequitur temperamentum, ut in Magnete naturalis est δύναμις quæ trahit ferrum.

Ἀμίαντος est Gemma, cuius proprium est posse secari & scindi in tenuißima fila, ut inde conficiatur pannus, qui coniectus in ignem non comburitur, sed purgatur & fit purior. Sic palma est arbor, quæ quò magis præmitur, eò magis contra nititur & insurgit. Sycomorus est arbor, quæ non gignit fructus maturos nisi antea scalpatur & ungatur oleo. Arbor ferens poma citrina habet istam uim, ut perpetuo sit fertilis, quando prima poma deciderunt, tunc alia substituuntur & crescunt. Eius pomi naturalis est uis ut sit pharmacum contra uenenum aspidum.

Quot

Quot modis proprium dicitur?

Quatuor modis autore Porphyrio in Isagoge.

Primo, quod soli, sed non omni conuenit. Vt homini conuenit esse medicum, musicum.

Secundo, quod omni sed non soli conuenit, ut homini conuenit procreatio, sed conuenit & alijs animantibus. Stellis conuenit lucere.

Tertio, quod omni & soli, sed non semper conuenit, ut canescere conuenit omni & soli speciei ut homini, sed non semper, uerum in senectute.

Quarto, quod omni, soli & semper, ut ridere homini conuenit.

Quod est discrimen inter differentiam & proprium?

Non est magnum discrimen inter differentiam & proprium, quia homines eruditi promiscuè illis utuntur, interdum differentiam pro proprio, interdum uero proprium pro differentia ponunt. Hoc tamen differunt, Differentiam esse formam rei substantialem, quæ implet & perficit substantiam, ut habere mentem est altera pars hominis. Proprium uero est dispositio uel facultas uel actio naturalis sequens formam substantialem, ut in homine

homine est risibile, disciplinæ capacem esse, quæ non sunt de substantia hominis, sed sequuntur hominis temperamentum. Deinde *proprium antecedit & sequitur speciem, hoc est, confertur cum sua specie, quod non facit differentia.* Etsi *aliquod est discrimen; tamen indifferenter in definitionibus hæc ponuntur,* Nam *(ut* Aristoteles *inquit) discendi causa & propter notitiam proprium est inuentum cum definitionem facimus. Siue igitur in definitionibus uirtutum, officiorum, actionum, substantiarum, rerum, et personarum proprio utimur, uel uera & propria differentia, bonam conficiemus definitionem.*

DE ACCIDENTE.

Quid est accidens.

Accidens est quod potest adesse aut abesse citra *subiecti perniciem & interitum, ut calor, frigus, albedo & nigredo, &c.* Hæc à Lucretio Euenta *uocantur,* Paries *est subiectum in quo hæret accidens, uidelicet albedo, qua etiam ablata subiectum manet incorruptum.* Vel *aliqui sic definiunt:* Accidens *est uniuersale, quod de multis contingenter natum est prædicari & non essentialiter, ut homo*

est bonus, bonitas non est de substantia hominis sed contingenter prædicatur de subiecto, neq; necessario cohæret. Cohærent autem necessario, genus, species, differentia, proprium & propositiones, quæ ex illis constant. Vt in definitione peccati uidere est. Peccatum est defectus, uel inclinatio uel actio pugnans cum lege Dei, offendens Deum, & promerens iram æternam, nisi fiat remißio propter meritum filij Dei domini nostri Iesu Christi. In hac definitione genera sunt, defectus, inclinatio, actio, differentia, pugnans cum lege Dei, propria offendens Deum, & promerens iram æternam. Accidens, nisi fiat remißio, peccatum est definitum tanquam species.

Quotuplex est Accidens?

Duplex:

- Separabile est quod sine subiecti pernicie & interitu separari potest, ut calor, frigus in aqua, lætitia, tristitia in corpore.
- Inseparabile est quod difficulter separari potest, ut magnitudo in corpore, amaritudo in absinthio. Hæc nominantur à Lucretio Coniuncta.

Regula

REGVLA ACCIDENTIS.

I. REGVLA.

Impoßibile est esse accidens sine subiecto. Hæc Regula sæpißime graues sententias in Ecclesia dispονit, refutat falsam imaginationem de transsubstantiatione. Quidam dicunt post consecrationem panem transmutari in corpus, & uinum in sanguinem Christi, & nihil ibi de pane reliquum esse nisi saporem & colorem. Hæc imaginatio refutatur, quia impoßibile est accidens esse sine aliquo subiecto. Manichæus contendit quod Spiritus sanctus nō sit persona distincta à patre & filio, & quod non sit ὁμοούσιος æqualis patri & filio, sed quod tantum sit motus creatus in hominibus. Hic opponitur. Motus creati in hominibus sunt accidentia, Ergo non possunt esse sine subiecto. Sed Spiritus sanctus apparuit uisibili specie, absq; corpore humano. Ergo non est accidens aut motus excitatus in hominibus, uerum est essentia per se existens & separabilis à persona credentium, possunt enim sancti accipere Spiritum sanctum, & rursus excutere per peccata contra conscientiam.

II. REGVLA.

Non entis non sunt accidentia, h. e. rei quæ non existit in rerum natura nullum est accidens. Sic Christus argumentatur, Matthei 22. contra

Sadducæos negantes resurrectionem mortuorum. Deus est Deus uiuorum, Deus est Deus Abrahæ. Ergo Arabam uiuit. Potest intelligi consequentia considerata hac Regula; Ergo necesse est animam Abrahæ iam uiuere, & postea corpus resuscitatum iterum coniungetur cum anima.

III.

Quicquid est accidens in una re, non potest esse pars substantialis alterius rei, ut calor est accidens in aqua, potest adesse uel abesse ab aqua. Ergo non est forma substantialis ignis. Sic nigredo est accidens in pariete, iam enim est albus, iam niger, Ergo non est pars substantialis corui, qui etsi eam nunquam deponit. Hæc Regula etsi non est tradita ab Aristotele, tamen ab eius interpretibus magno consensu tradita & proposita est.

IIII.

Omnes res in natura aut sunt substantiæ aut accidentia, sicut in usitatis uersiculis comprehensum est: Augustinus.

Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum,
In duo diuisit quicquid in orbe fuit.

scilicet in substantiam & accidens. Imago Dei in homine fuit tantum accidentalis, quia illam amisimus per Adam, qui fuit conditus ita, ut uera Dei noticia

lucerer

ICCERET IN mente, in uoluntate rectitudo, incendium moris Dei, nulli adhuc rapidi motus fuerunt con- ra Deum, postea Adam amisit firmam lucem in ente, uoluntatis rectitudinem, ardentem amorem ei, postea fuerunt rapidi motus qui antea non fue- int, istas res amisit, mansit corpus etiamsi fuit ngue factum, multum autem refert regere corpus ntum naturali luce, uel regere iuxta uoluntatem ei.

Vtilitas distinctionis accidentium apparet in oc usitato argumēto, quod in scholis agitari solet, n peccatum originis propagetur in posteros, Ar- umentum est tale:

Accidentia non propagantur,
Peccatum est accidens, Ergo,
Peccatum non propagatur.

Maior est perspicua & satis manifesta. Nam oquentia Ciceronis non propagatur in ipsius lium, ut dicitur, Heroum filij noxæ. h. e. Virtutum atrum non propagantur in liberos, unde etiam omerus inquit Odysseæ 2.

παῦροι γὰρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πάτρι πέλονται.
πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

Minor etiam est uera, peccatum est accidens, uia non est substantia à Deo condita. Hîc opus t distinctione accidentium. Respondeo ad Maio-

 rem,

rem, Accidentia non propagantur scilicet separabilia, sed inseparabilia propagantur, & sicut peccatum est inseparabile in hac corruptione naturæ, ita etiam mors propagatur in toto genere humano. Alia solutio. Accidentia indiuiduorum non propagantur, ut aliquod indiuiduum habet uirtutem, eruditionem, flauos crines, illa non propagantur. Sed accidentia speciei propagantur, quæ toti naturæ conueniunt, ut peccatum conuenit toti naturæ speciei, h. e. uniuerso generi humano.

Ad quid prosunt prædicabilia?

Gradus uocum prosunt ad constituendas definitiones, quia semper uocabula angustiora declaranda sunt per communiora.

Secundo prosunt ad iudicandas propositiones. Nam species, genus, differentia & proprium necessario cohærent, & propositiones ex his formatæ sunt necessariæ.

Tertio prosunt ad hoc, ut sciamus quæ uocabula cum quibus natura coniungi patitur. Nam uocabulum alteri coniungi non potest, nisi sit aut species, aut genus, aut differentia, aut proprium, aut accidens illius. Cum dico, homo est lapis, homo est Leo, non necessario cohærent, quia disparatæ species coniunguntur.

Quarto prosunt ad inuentionem & diiudicationem argumentorum. Constituit autem Aristoteles quatuor locos, ad quos omnia argumenta referuntur. Quicquid enim prædicatur in aliqua propositione, hoc est, aut genus, aut proprium, aut differentia, aut accidens.

DE PRÆDICAMENTIS.

Quid est prædicamentum?

Prædicamentum est ordo seu coaceruatio uocum communium seu prædicabilium, et quasi quædam aggregatio ad suum cuiusq; summum genus. Vel est ordo generum subalternorum & subalternraum specierum, quæ ex communibus uocibus nascuntur. Hæc ab Aristotele nominantur κατηγορίαι, quod Boetius uertit prædicatum, A Sturmio uocantur decem summa genera rerum. A Quintiliano Elementa. A Cicerone attributa & attributiones personarum & rerum, appellatio propriè sumpta à foro. Nam distributa est tota rerum natura in certas classes, & certam tabellam, quæ hic in Dialectica traditur, quam singulæ artes hinc petunt.

Quot ſunt prædicamenta?

Decem.

Subſtantia. Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paßio, Vbi, quando, Situs, Habitus.

Subſtantia eſt prædicamentum Phyſicum. Tota Phyſica uerſatur in explicatione ſubſtantiæ, Primò quærit quid res ſit, & Plinius in tota Hiſtoria animalium obſeruat iſtum ordinem.

Quantitas eſt Mathematicum h. e, eſt ordo generum & ſpecierum, quo diſtribuuntur magnitudines & numerus.

Qualitas eſt prædicamentum ethicum & theologicum.

Relatio magna ex parte Theologicum & Iuriſconſultorum. Ita prædicamenta ſunt quædam claſſes ſeu tabellæ proponentes nobis ſeriem omnium rerum, ut ENS, h. e, res eſt uocabulum omnium generalißimum, ſub hoc collocantur decem genera generalißima, uidelicet decem prædicamenta, Sicut apparet in arbore, ex uno trunco naſcuntur rami, ex ramis poſtea frondes. Ita ex ſubſtantia tanquam trunco naſcuntur rami h. eſt, ſubſtantia corporea, aut incorporea, deinde ex corporea naſcuntur frondes, corporea aut eſt mixta aut ſimplex.

Quid

Quid interest, inter uniuersalia & prædicamenta?

Prædicabilia ostendunt tantum cognationem & affinitatem communium uocum. & quæ uox de altera dici et prædicari poßit. Prædicamenta uero ipsas species, & genera rerum continent. Deinde & hoc differunt, quod nomina primæ intentionis sint in prædicamentis. Secundæ intentionis uero in prædicabilibus. Vocantur autem nomina primæ intentionis, quando eorum significatio considera- tur, ut homo, ein Mensch. Iustitia die gerechtig- keit. Sed secundæ intentionis nomina, quando ali- quid extra significationem consideratur, ut homo est species, animal est genus, rationale est differen- tia, incedens erecto corpore, & quod loqui potest, est proprium.

Quæ est utilitas prędica- mentorum?

Prædicamenta monstrant atq; ostendunt to- tam naturæ rerum uniuersitatem certis claßibus distributam, ut cogitationem de natura rerum cer- tis metis includere poßimus. Vt aliquis ignarus astronomiæ intuens cœlum, cum uidet magnam multitudinem stellarum, sed eas non potest discer-

cere, Verum Astronomus notat primum duo puncta in cœlo, quæ polos uocat, deinde cœlum distinguit in decem circulos, postea discernit magnitudines stellarum, constituit enim tres differentias magnitudinum. & attribuit singulis certum locum, deniq; eas potest cognoscere. Ita & nos nisi ignari esse uolumus, & cogitationes nostras uagari uelut in magno & uasto mari, intueamur hunc ordinem rerum ab artificibus distributum, qui primum omnes res distribuunt in substantiam & accidens in tota natura, & ut facilius res cognosci poßint constituerunt decem prædicamenta, in quibus additæ sunt distributiones omnium rerum, ne hominum cogitationes uagarentur in infinitum, & essent similes cogitationibus intuentium cœlum, qui stellas non discernere possunt ob imperitiam.

II Prædicamenta sunt fons doctrinæ definitionum. Dialectica habet quatuor præcipua officia, quarum primum est definire, secundum diuidere, tertium argumentari, quartum sophismata refutare. Non poterit autem constitui definitio sine doctrina prædicabilium & prædicamentorum, Nam ex prædicamentis semper sumitur genus & differentia in definitione.

Tertia utilitas est cuius Quintilianus facit

mentio

mentionem, quod nimirum prædicamenta sint magna pars methodi, & multa uocabula dexterius explicantur per ordinem prædicamentorum quam infra per. quæstiones methodi. Vt si quis uellet dicere aliquid de angelis, tunc sequeretur distributionem prædicamentorum. Primo de substantia.

Quid est Angelus?

Angelus est substantia spiritualis condita ad imaginem Dei, sapiens, bona, intelligens, casta, confirmata in bono à Deo, & ut perseueret in ueritate in qua condita est diuinitus, ordinata ad ministerium Ecclesiæ. Secundo de quantitate & magnitudine, Quia uero sunt substantiæ incorporeæ, non sunt res quantæ, sed distinguuntur numeris. Aliij sunt BONI, qui retinuerunt imaginem Dei in qua conditi erant ab initio. MALI ut Iohan. 8. inquit, in ueritate non persliterunt, qui elati superbia contra filium Dei, sese in æternum exitium præcipitarunt.

Tertio de qualitate.

Totus Decalogus & omnes uirtutes, quas præcipit Decalogus sunt qualitates angelorum bonorum. Et econtra pugnantia cum Decalogo, sunt qualitates malorum angelorum. Quarto

Quarto de relatione, quæ ſint eorum officia. Bonorum officium eſt, ut defendant Eccleſiam, ut Pſal. 23. Caſtra metabitur Angelus domini in circuitu eorum h.e, tuebitur pios, ne poßint opprimi à Diabolis, & tyrannide impiorum hominum.

Quinto Actio. Bonorum eſt adeſſe bonis pijs & fidelibus, defendere eos aduerſum furores diabolorum & Tyrannorum. Diabolorum actio eſt ardere odio filij Dei, & in ignominiam Dei impellere miſerum genus humanum, ut ſubinde in alia atq; alia peccata ruant, et quærere ut 1. Pet. 5. dicitur, ut leo rugiens quem deuoret. Sexto. Paßio. Boni angeli fruuntur perpetua conſuetudine & conſpectu Dei. Mali perpetuo cruciantur, ut dicitur: Dæmones credunt & contremiſcunt. Septimo ubi Angeli ſunt in loco definitiue, non circumſcriptiue et repletiue ut occupent certum ſpacium.

Octauo Quando. An ſint æterni? Reſpondeo. Non ſunt æterni, ſed ſunt conditi à Deo cum reliquis creaturis. Ita multa uocabula poſſunt recte explicari per ordinem prædicamentorum ducta.

REGVLA.

VOCABVLA ponuntur in prædicamentis ſecundum principalem ſignificationem alia in alijs,

aliјs, & non unum in omnibus, ut, limes est in prædicamento relationis, secundum principalem significationem, & significat lapidem ordinatum esse ad distinctionem agrorum, & non dicitur limes, quia est lapis, sed quia est terminus distinguens agros. Quatenus autem materia lapidis consideratur, tunc est in prædicamento substantiæ. Sic agnus Dei, &c. Agnus est in prædicamento relationis. Contra, est in prædicamẽto substantiæ. Respondeo, In relatione significat uictimam, h. e. quiddam destinatum ad mactationem, ad placandam iram Dei aduersus peccata nostra. Fundamentum est persona filij Dei. Terminus, destinata ad mactationem.

DE ANTEPRAEDICAmentis.

Recitantur etiam hoc loco quædam Regulæ ab Aristotele, quæ ad intelligendam doctrinam de prædicamentis in primis necessariæ uidentur, & prima continet definitiones aliquot uocabulorum.

I. REGVLA.

Aequiuoca sunt, quæ una uoce res uarias & diuersas complectuntur, quæ non possunt una uoce explicari, ut canis, aliàs significat animal terrestre quod uidemus, aliàs autem sydus cœleste. Iustitia est

uocabulum πολύσημον, quia ista appellatio apud Aristotel. lib. 5. Ethicorum significat qualitatem in nobis, sed aliud significat in Paulo, quando dicit: Nunc autem iustitia Dei reuelata est sine lege. Ibi non significat qualitatem in nobis, sed relatiue intelligenda est, hoc est, pro imputatione iustitiæ propter filium Dei, quæ non est in nobis, sed imputatur nobis per fidem amplectentem promißiones. Primum ergo quando quæritur in quo prædicamento quodq; uocabulum sit collocandum, quærendum est in qua significatione uti uelimus uocabulo, an uelimus significare qualitatem in nobis, an uero relationem, ne ambiguitate decipiamur.

II.

VNIVOCA, quæ una uoce unam tantum rem complectuntur, ut uocabulum uirtus unam tantum rem significat, non diuersas, uidelicet habitum regentem iuxta proëresin secundum rectam rationem. Istam definitionen ideo recitat Aristoteles, ut ostendat uocabula esse ponenda in prædicamentum secundum unam propriam & principalem significationem.

III.

DENOMINATIVA, uocat abstractum

ctum & concretum, ut Grammatica & Grammaticus. Concreta significant formas cum materia. Abstracta significant formas sine materia, & reuera nihil sunt reale in rerum natura, nisi sint in concreto, ut sapientia nihil est nisi sit in mente humana. Et prodest hæc regula ut commonefaciat nos, abstracta & concreta esse in eodem prædicamento, ut sapientia est in prædicamento qualitatis. Ergo etiam sapiens.

SECVNDA *Regula continet diuisiones uocabulorum, alia sunt complexa, alia incomplexa.*

COMPLEXA *dicuntur integræ propositiones, ut fides iustificat, Virtus est finis hominis.*

INCOMPLEXA *sunt uocabula simplicia, ut fides, gratia, uirtus, &c. Recitatur autem hæc Regula ideo, ut sciamus, In prædicamentis non complexa, hoc est, integras propositiones, sed tantum incomplexa, hoc est, simplicia uocabula poni.*

Tertio sequuntur duæ Regulæ.

I. REGVLA.

Prædicatum prædicati etiam recte tribuitur prædicat,

prædicati subiecto, ut Homo est animal, Animal est substantia. Ergo homo est substantia. Gignit hæc Regula formam argumentationis, quam uocamus Soriten, & diuidit truncum arboris substantiæ, ostendit quomodo genera se mutuo consequantur.

II.

Diuersorum generum & non alternatim positorum sunt diuersæ species. Hæc Regula docet non esse confundendas species, sed singulis suum tribuendum esse locum.


TRANSCENDENTIA dicuntur uocabula, quæ non sunt in aliquo prædicamento, & numerantur sex. Ens, res, unum, aliquid, uerum, bonum.

Ex hoc loco refutari possunt isti, qui uolunt conciliare religiones, dicunt omnes esse unam religionem, Cum unum tantum sit uerum, h. est, una tantum propositio sit uera, cuius contradictoriæ sunt falsæ. Si ergo religio christiana est uera, sicut certis argumentis & rationibus probatur, Ergo Turcica & aliæ omnes quotquot sunt, sunt falsæ quia plus uno uerum esse non potest

ARBOR SVBSTANTIÆ.

Ens diuiditur in substantiam & accidens?

Accidens complectitur ſub ſe omnia prædicamenta præter ſubſtantiam.



DE SVBSTANTIA.

Quid eſt Subſtantia?

Subſtantia eſt res naturalis per ſeipſa exiſtens, nec alio indigens ut ſit, eſtq; quaſi fulcrum et ſuſtentaculum omnium accidentium, ut homo eſt ſubſtantia, hoc eſt, res naturalis per ſe ipſa exiſtens & ſuſtinens accidentia, ut quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, paßionem &c. Nam *accidentia per ſeſe non conſiſtunt, ſed ſubſtantijs inhærent ceu ſubiecto.* Hinc *Ariſtoteles affirmat, impoßibile eſt accidens inueniri abſq; ſubiecto.* Eſt *autem ſubſtantia duplex, alia dicitur prima, alia ſecunda.*

Prima ſubſtantia eſt quæ de nullo ſubiecto dicitur, nec ſubiecto ullo ineſt. Dici *autem de ſubiecto eſt in multis intelligi una eademq; ſignificatione, ut animal de homine & boue, alijſq; animantium generibus,* Homo *tam de ſingulis hominibus dicitur una ſignificatione, quam de* Cicerone *&* Socrate. At Socrates *de nullo alio dicitur, niſi de ſolo* Socrate. Ineſſe *autem ſubiecto eſt nihil aliud, quam ſic rei inhærere alicui, quod ſeparari ſeiungiq; non poteſt, cum tamen non ſit eius pars, ut* Dialectica *qui ſemel integre & perfecte præcepta eſt,*

animo inhæret, quæ sine animo constare non potest, nec tamen est hominis pars, quia per accidens accedit.

Secunda autem substantia est, quæ de subiecto dicitur. Nec tamen subiecto inest, ut homo, animal, equus, leo, Hæc propinquior est intellectui, qui facit uniuersitatem in rebus secundum Auerroem. Illa autem propinquior est sensibus, Nam sensus circa singularia tantum uersantur, ut leonem, equum sensu uisus apprehendo.

REGVLÆ.

I.

Substantiæ non uidentur, quia sunt tectæ accedentibus, quæ in oculos incurrunt.

II.

Substantia nunquam amittit accidentia omnia, tamen illa accidentia possum ratione separari. Vt coruus nunquam potest amittere nigredinem, possum tamen fingere in coruo albedinem ratione, etiamsi re ipsa non ita sit.

III.

Differentiæ colliguntur ex accidentibus. Ignis est corpus simplex, quia non constat ex commixtione aliorum elementorum.

IIII.

Partes substantiarum sunt substantiæ, ut caput, manus, pedes, brachium.

V.

Priuationes & habitus referuntur ad prædicamenta suorum positiuorum, ut cadauer, homo mortuus et uiuus homo. Homo uiuus est quiddam positiuum. Priuatio est esse mortuum. Mors est priuatio uitæ, sed hæc non est integra mortis definitio. Sicut homo uiuus & cadauer, sunt in eodem prædicamento, Sic etiam planta & truncus.

VI.

Omne nomen significans substantiam rei inanimatæ est in prædicamento substantiæ, ut mons, turris, templum, panis, caro, lac, mel, cereuisia, gladius cum ipsa forma non consideratur. Sed cum forma gladij consideratur, est in prædicamento qualitatis.

VII.

Vltra substantiam non est progrediendum in collectione proximorum generum, nec est prius cessandum, nisi ad imum perueniatur, Imum genus est ENS, ut quid est bos? Est substantia corporea, perfectè mixta, animata, sentiens, irrationalis. Hic quiescendum iam est, quia genus inferius haberi non potest.

In d

VIII.

In definiendis, tamen uocabulis non opus est sic discurrere per omnia inferiora genera, sed satis est proximum inuenisse. Vt homo est substantia corporea, mixta, animata, sentiens, rationalis. Non opus est sic discurrere, sed satis est proximum inuenisse, genus, scilicet, Homo est animal, Arbor est planta, Argentum est metallum.

Tres sunt personæ diuinitatis. Persona in quo prædicamento? Est in prædicamento substantiæ, quia persona in Ecclesia significat substantiam indiuiduam, intelligentem & incommunicabilem. Quando autem dicitur: Legatus sustinet personam regis, Hoc loco persona non est in prædicamento substantiæ, sed in relatione. Fundamentum est ipsa persona Legati, Terminus est, esse ordinatum ad repræsentandam personam regis. Hic Regula obseruanda est: PERSONA nunquam est in substantia, nisi cum dicimus tres esse personas in diuinitate. Græci dixerunt, una est ὀυσία essentia diuina, Tres sunt ὑπόστασεις uere subsistentes, quæ realiter aliquid sunt. Item πρόσωπον, id est persona. Tria sunt πρόσωπα h. e. personæ seu tres sunt ὑπόστασεις, Sic Iohan. I. In principio erat Verbum, & Verbum caro factum est. Hoc loco Verbum est in substantia. Sic Paul: Omnia sustinens uerbo po-

tentiæ suæ, quia significat personam intelligentem, indiuiduam, incommunicabilem, hoc est, Filius Dei secunda persona diuinitatis erat antequam conderetur rerum natura. In uersibus Ouidianis:

Munda sed è medio consuetaq; uerba puellæ.
Scribite, sermonis publica forma placet.

Quæ sunt proprietates substantiæ?

I. Destructis primis substantijs, hoc est, indiuiduis, impoßibile est remanere substantias secundas, id est, genera & species. Hæc regula posita est ab Aristotele contra opinionem eorum, qui fingunt idæam esse extra intellectum, uel, uoluit significare nihil esse uniuersale in tota rerum natura. Inde Boëtius inquit: Quicquid est eo ipso quod est singulare est.

II. Substantiæ nihil est contrarium, ut lupus & ouis non pugnant inter se, quod attinet ad substantiam, sed quod attinet ad inclinationes & qualitates. Lupi inclinatio est deuorare illas bestias omnes quas uincere & superare potest.

III. Substantia quælibet in sua specie non recipit maius aut minus, ut puer non est minus homo quam senex quod attinet ad substantiam, sed in acciden- tibus

ibus, puer non habet illam quantitatem quam ha-
et senex, attamen manet homo.

DE QVANTITATE.

Quid est Quantitas?

Quantitas est qua substantia in spacia ac nu-
meros diuiditur. uel

Quantitas est secundum quam in partes quip-
piam diuiditur.

Quare quantitas statim post substantiam ponitur.

Quantitas optimo iure secundum locum inter
prædicamenta sibi uendicat, quia nihil est quantita-
te substantiæ propinquius. Nam nulla est substantia
corporea quæ non habet aliquam quantitatem, &
præfertur qualitati, quod multæ res qualitates non
habent. Vocamus autem quantitatem alterũ genus
generalißimum, quod omnes quantitatis species,
uidelicet, longitudinem, latitudinem & profundi-
tatem & multitudinem, hoc est, numeros compre-
hendit atq; de illis prædicatur, quorum in tota
uita magnus ac infinitus est usus, ut Plato in
Epidemide dicit: Omnia interirent pœnitus, si
quis Arithmeticen ex uita tolleret. Deus indidit
numeros animis hominum, ut primum poßimus

numerare ac deinde distinguere. Vult intelligi esse unum Deum & non infinitos, & tres esse personas realiter distinctas, quarum dissimilia sunt etiam officia, ut Pater est prima persona diuinitatis, quæ genuit filium imaginem suam, & à qua procedit Spiritus sanctus. Filius est secunda persona diuinitatis à patre ab æterno genita, quæ mittitur, ut patefaciat Euangelium, & assumat humanam naturam, & sit mediator, redemptor, iustificator & saluator. Spiritus sanctus est tertia persona diuinitatis, procedens à patre & filio, quæ mittitur in corda credentium, ut accendat in eis uerum amorem et læticiam acquiescentem in Deo. Inde apparet magnam esse cognationem & affinitatem Arithmeticæ & Dialecticæ, cum Arithmetica res inuenit, tunc Dialectica eas discernit, quærit quæ sint certæ, quæ non certæ.

Quotuplex est Quantitas?

Duplex { Continua & / Discreta.

Continua quantitas est magnitudo, cuius partes ad eundem terminum communem copulantur. Eius sunt tres species, Linea, superficies & corpus

Linea

Linea est longitudo tantum, quæ fit ex fluxu puncti, quia punctum est quiddam indiuisibile, cuius quantitas nulla est. Ex huius fluxu imaginatur linea expers omnis magnitudinis. Hîc obseruandum est, magnitudinem tantum separari imaginatione à substantia corporea, non reuera separatur aut seiungitur, ut calor ab aqua, quæ aliàs calet, aliàs friget. Sed magnitudo ita inhæret substantiæ, ut diuelli ab ea non poßit nisi cogitatione, quia est accidens inseparabile, ut calor in igne. Ad lineam pertinent omnia longa, ut miliare, uirga, quibus metiebantur agri, ulna. Item uocabula mensurarum: Minima mensura est granum hordei. Quatuor grana hordei faciũt unum digitũ, scilicet, transuersum secundum latitudinem, non secundum longitudinem, unde uersus:

Ex granis digitus quatuor formabitur unus.
Et quater in palmo digitus quater in pede palmus.

Hoc est, quatuor digiti faciunt palmum, & quatuor palmi faciunt pedem.

Quinq; pedes passum faciunt: passus quoq; centum.
Viginti quinq; stadium dant, sed miliare.
Octo dabunt stadia, ac duplatum dant tibi Leuca.

Leuca est nomen mensuræ, miliaris Galliæ, & est semi miliare Germanicum, ein halbe deutsche Meil. Palmus maior continet duodecim digitos, Græcè σπιθαμὴ ein spann.

Cubitus sesqui pes anderthalb fuslang.
Gressus continet duos pedes cum dimidio ein schrit
Vrgia ein Klaffter, habet sex pedes.
Pletrum habet centum pedes.
δίαυλος duo stadia ein welsche uiertel meile.
παρασάγγη persica mensura est, et habet triginta stadia, ein klein deutsche meil.
σχοῖνος est mensura Ægiptiaca continens sexaginta stadia anderthalb grosse deutsche meilen.
Octo stadia faciunt miliare Italicũ seu centũ stadia
Germanicum miliare commune continet quatuor Italica miliaria, uel triginta duo stadia, uel quatuor millia passuum.
Germanicum miliare magnum continet quinq; Italica miliaria seu quadraginta stadia, seu quinq; millia passuum.

Superficies græce ἐπιφάνεια est breuißima inter duas lineas substantia, germanicè ein flech, quæ imaginatur fieri ex linea transuersali, & terminatur lineis. Hæc non concretè sed abstractè considератur.

Ad superficiem pertinent Longa & Lata, ut ager, pratum, campus, uallis.

Corpus est quod omnes tres dimensiones habet longitudinem quæ μῆκος, latitudinem quæ πλάτος, profunditatem quæ ὕψος græce dicitur. Hoc termina-

[te]rminatur superficiebus. Hic autem obseruandum [e]st, Dialecticũ hoc loco non loqui de corpore phy[si]co, quod ex materia prima et forma substantiali [ta]nquam Principijs constat omni mutationi ob[n]oxium, Nam Physicis considerat formas rerum. [q]uæ sunt in materia, ut considerat animam hominis [q]uatenus est coniuncta cum corpore, & exercet [su]as operationes, Considerat formam bouis, quate[n]us ille uapor & spiritus uitalis hæret in corpore [b]ouis. Methaphysicus considerat formas, sed tamen [se]iunctas à materia elementari, disputat de Deo [q]uid sit, de anima hominis, quatenus non est con[n]exa cũ corporibus, item de angelis, quod sint sub[st]antia spiritualis. Sed loquitur de corpore Mathe[m]atico, quia Mathematicus uersatur non circa ma[te]riam sed circa formas, quæ reipsa non absunt à [m]ateria, sed tantum imaginatione abstrahuntur, ut [d]isputat de triangulo absq; materia, licet sit inscri[p]tus cupro, orychalcho, aut ligno, Quare Auerro[e]s inquit: Mathematicũ uersari circa uerum, Phy[s]icum circa prope uerum, id est, Physicus consid[er]at formas quatenus sunt in materia, ibi non potest [e]sse summa præcisio, & non potest intelligere qua[l]is sit illa forma absq; materia. Sed Mathematicus uersatur circa uerum, quia considerat formam [a]bsq; materia.

Et Aristo-

Et Aristoteles. 2. Phisico: dicit: Abstrahentium non est mendacium, hoc est, etiamsi formæ abstrahuntur à materia, & disputatur de proprietatibus, tamen illæ tales sunt, quæ postea congruunt qualitatibus formarum in materijs.


Ad tertiam speciem quantitatis scilicet ad corpus pertinent rerum & corporum formæ. V Triangulus qui habet tria latera, κυλίνδρος quo habet corpus rotundum. πύραμις, κῶνος etc.

Discreta quantitas est, cuius partes non coniunguntur termino communi, uel non cohærent hæc explicatur in Arithmetica, illa in Geometri Hæc habet duas species, Numerum cardinalem e orationem. Vt numerus 8. potest diuidi in 6. & 2. Item 4. & 4.

Numerus est multitudo ex unitatibus collect duo, tria, quatuor. Oratio est syllabarum pronunciatarum series, quæ non continua est, sed habet diuersas mensuras temporum. Est autem duplex: Conceptiua in animo, quæ non est quantitas, sed qualitas, quia est saltem cogitatio. Pronunciatiua qu profertur, in ea consistit quantitas, & est discreta quia uerba non confuse, sed articulate proferuntur & constat ex multis dictionibus, dictiones ex syllabis, syllabæ ex literis.

ARBO

ARBOR QVANTITATIS.



Quæ nomina pertinent ad quantitatem?

Pertinent ad quantitatem primum omne omen magnitudinis, ut profunditas, altitudo, bicubitum, tricubitum, pedale, sesquipedale.

I. Nomina mensuræ ut miliare, stadium, passus, otila eim halb ösel. Culcus amphoras 20. Amphora urnas 2. Vrna conchios 4. Conchios continet ex sextarios: Hinc filius Ciceronis nominatus est biconchus, quod duos chonchios, hoc est, 6. cantaros unico hausto potuerat exhaurire. Sextarius heminas duas. Quartarius Acetabula duo, Acetabulum sesqui Cyathos, Cyathus libras quatuor, Libra uncias duodecim, Sextarius compræhendit libram & bessem.

bessem, uncias 20. Metreta siue cadis capi conchios 12.

Mensuræ aridorum.

Modius, Semodius continet sextarios 8. Sextarius heminas 2. Hemina acetabula 4. Acetabulum sesqui cyathos, Cyathus ligulas siue cochlearia 4. ligula drachmas. 3.

REGVLÆ.

I.

Omne quantum est diuisibile in semper diuisibilia, mathematice intelligendo, ut nulla est linea, quin poßit dari uel cogitari minor. Hoc est, Omnis quantitas potest diuidi in partes, quæ semper subdiuidi possunt, intelligendo Mathematice, Sed Physice loquendo hæc Regula non est uera, quia materia deficit aliquando.

II.

Linea decrescit in infinitum, hoc est, Etiamsi linea secetur in mille partes, tamen semper manet linea.

III.

Numerus crescit in infinitum, Nam numerus quantumuis magnus est, tamen maior fieri potest.

Proprietates quantitatis,

I. Proprietas est diuisibilitas, quia quicquid est quantum est diuisibile, uel quicquid habet magnitudinem potest diuidi.

Quanti-

I. Quantitas sua natura non est efficax, ut uangelium Iohan. scriptum in membranam & uspensum à collo non depellit febrem, quia quan-itates non sunt efficaces, sed substantiæ & quali-ates, per quas substantiæ sunt efficaces et tanquam ver instrumenta agunt, Est itaq; superstitio quæ-lam, quæ tribuit cuicunq; rei uim aliquam sine or-linatione diuina, & sine causis naturalibus. Quan-lo utor plantagine, mille folio et pentaphyllo ad onglutimanda uulnera, hoc facio non ex supersti-ione, quia habent causas naturales.

II. Quantitatei nihil est contrarium, hoc est, uantitates non alterantur inuicem sicut qualita-es, quia non fit mutua actio quantitatum sicut ualitatum, quæ quando sunt in gradibus summis ut etiam aliqua ex parte remissis agunt inuicem nter sese. Vt bicubitum non agit cum bicubito, si-ut calor in frigus.

IIII. Quantitas non recipit magis & minus, sed quantitas dicitur maior uel minor. Vt linea 8. pedum, non est magis linea quam ea quæ habet 4. pedes, sed est maior.

V. Secundum quantitatem dicitur æquale uel inæquale, h.e, Res aliqua secundum quantitatem dicitur æqualis alteri rei, ut exercitus unus alteri dicitur æqualis aut etiam inæqualis.

DE QVALITATE,

Quid est qualitas?

Qualitas est secundum quam quales nos esse dicimur, ut secundum musicam mihi inhærens dicor musicus, secundum iustitiam mihi inhærens dicor iustus. Vel, Qualitas est quicquid sensibus humanis est subiectum præter quantitatem, hoc est, Omne quod homo potest sensibus percipere, est in prædicamento qualitatis, præter quantitatem, quæ uidetur, & in oculos incurrit.

Quot sunt species Qualitatis?

Quatuor.

1. Habitus & dispositio. 2. Naturalis potentia & impotentia. 3. Paßio uel paßibilis qualitas. 4. Figura & forma.

Quid est Habitus?

Habitus est qualitas animi uel corporis in parte quæ ratione regi potest, ut in potentia appetitiua & locomotiua, seu quæ potest assuefieri, qua certius & facilius agimus, comparata multis uel crebris actionibus, ut qui sæpe iterat cantionem melius

melius canit, quam ille qui raro canit. Et sicut cera digitis tractata fit mollior, sic etiam hominis membra fiunt agiliora sæpe exercitata.

Quæ requiruntur ad perfectum habitum?

Tria requiruntur. I. Naturalis inclinatio seu potentia naturalis, quam ideo Deus in creatione in hominum mentes fudit, ut essent capaces doctrinæ, & hoc modo possent assuefieri, estq; umbra perfectæ libertatis. Deus est spiritus liberrimus, quare uoluit etiam esse umbram libertatis in hominibus.

I. Causa efficiens sunt instrumenta naturæ, quæ qui non habet, nunquam bonum consequetur habitum, ut qui caret manibus nunquam erit ægregius pictor, qualis fuit Apelles.

II. Causa efficiens est sæpe iterata actio, hoc est exercitium, unde Ouidius inquit:

Solus & artifices qui facit usus erit.

Et Cæsar: Vt est rerum omnium Magister usus. Vt etiamsi aliquis natura ducitur ad eloquentiam, & habet instrumenta idonea tamen nunquam erit præclarus orator nisi bene multumq; sese exerceat. Hoc adfirmat & pictor clarus Durerus, qui aliquando dixit, Natura bona non exculta similis est speculo non polito. Et Quintilianus: Virtus à natura initium sumit doctrina perficitur.

Quomodo Cicero definit habitum I. lib. de Inuentione?

Habitum uocamus animi uel corporis constantem, & absolutam aliqua in re perfectionem.

Quid est discrimen inter habitum & affectionem?

Differunt tantum secundum maius & minus secundum perfectum & imperfectum. Deinde hoc etiam differunt quod affectus sint subiti & cito deponantur. Habitus uero sunt durabiles, & nullo modo dedisci aut deponi queũt, Vnde dicitur: Assuefactio altera natura, et germanicum prouerbium Jung gewont/alt gethan.

Quotuplex est habitus?

Duplex. Alius est corporis, ut ars scribendi, pingendi. Alius est animi, ut ars canendi numerandi, uersificandi, crebra exercitatione confirmatus, difficulter mobilis à subiecto, in quo hæret, ut scientiæ, uirtutes.

SECVNDA SPECIES.

Quid est naturalis potentia?

Est naturalis quædam uis aut innata qualitas ad agendum aliquid, non paciendum aut accipiendũ. Marrubio est naturalis inclinatio ad adiuuandum pulmonem & medendum tußi. Absinthium ua natura conuenit hepati & uentriculo, quia abstergit ob partes terreas, & laxat ratione amaritudinis. Magnes naturali inclinatione trahit ferrum. uel

Potentia naturalis est secundum quam quisquam non ex eo quod est, sed quod esse potest dicitur, ut puer docilis non qui iam doctus est, sed qui st aptus ad discendum.

Quid est impotentia?

Impotentia naturalis est qua ægrius aliquid it: ut naturalis potentia uentriculi est amplecti cibum acceptum per œsophagum, & coquere illum, ut fiat chylus, qui postea per πύλωρον in duodenum ieiunum & in inferiora intestina emittitur. Si uero est male affectus & æger, nullo modo potest hoc præstare sed διάῤῥοιαν & λιεντερίαν committit in qua affectione cibi non retinentur donec concoquantur, sed celerrimè priusquam permutationem accipiant, dilabuntur.

Quotuplices sunt potentiæ naturales?

Duplices sunt, Aut sunt rerum animatarum, ut in lepore inclinatio ad celeritatem, Aut inanimatarum, ut igne uis calefaciendi.

Alia diuisio.

Inclinationes aliæ sunt corporis, aliæ animi.
Animi, ut docilitas, tarditas, hebetudo.
Corporis, ut robur, agilitas, uelocitas.

Quæ huc pertinent?

Ad hanc speciem qualitatis pertinent uires rerum naturalium omnium, ut stellarum, elementorum, plantarum animalium, medicamentorum, lapidum. Huc pertinent & heroici motus, & potentiæ animæ, ut uegetatiua, sentiens, appetitiua, secundum locum motiua & rationalis. Ad hanc qualitatis speciem pertinet Musa, quæ est naturalis inclinatio ad artes honestas & liberales discendas. Sic per Mineruam Horatius in suo uersu: Tu nihil inuita dices faciesue Mineruà, intelligit naturalem inclinationem. Sic nobilitas quando significat uim propagatam à parentibus generosis est in hac specie, ut nobilitas Alexandri, nobilitas Cai Iuli

Cæsaris

Cæsaris. Horat: Fortes creantur fortibus & bonis. Verum quando nobilitas significat graduum distinctionem, tunc est in relatione. Huc pertinet etiam fundamentum peccati originalis, quia est impotentia quædam nobiscum nascens, qua fit ut mandatis Dei integre et perfecte obedire non possimus, Sic Fundamentum iustitiæ originalis est in hac specie qualitatis. Nam iustitia originalis in qua homo primum est conditus, fuit in mente illustris agnitio Dei & firmus assensus omnium promissionum diuinarum, & in uoluntate conuersio ad Deum seu inclinatio ardens ad omnes uirtutes, & in corde motus congruentes cum ratione recta & uoluntate.

TERTIA SPECIES.

Quid est patibilis qualitas?

Tertiam qualitatis speciem patibilis qualitates & animi perturbationes efficiunt. Est autem patibilis qualitas ea, quæ uel sensum mouet, uel eidem passionem infert, uel à perturbationibus orta est. Harum duo sunt genera, Aliæ ideò dicuntur patibiles qualitates, quia ipsos sensus afficiunt & mouent, ut sunt obiecta cuiuslibet sensus. Color & lux sunt obiectum uisus, & nominatur qualitas patibilis quod inferat detrimentum organo. Iuxta

illud: Omne excellens sensibile lædit sensum. Vt si quis intuetur Solem, læditur ab eo. Sic organon auditus læditur à uehementi sono. Aliæ quia ortum habent ab affectionibus, quæ uix tolli possunt. In hoc genere sunt dolores stabiles & diuturni corporis, & animi perturbationes eiusdem generis.

Quid est Paßio?

Paßio est qualitas transiens, facileq; mutabilis, sensui paßionem inferens, ut rubor in facie ex uerecundia. Hæc usitate adfectus dicitur.

Quid interest inter paßibilem qualitatem & paßionem?

πάθος seu paßio appellatur subita mutatio, ut pallor in metu. Qualitas uero paßibilis cum illa affectio est durabilis & non statim euanescit, ut pallor ex morbo & temperamento corporis. Vel quæ perpetuo hæret in subiecto, ut dulcedo in melle, frigiditas in glacie. In uerecundia rubor est paßio, quia non perpetuo inhæret subiecto,

QVARTA

QVARTA SPECIES.

Quid est figura?

Figura est ipsa partium collatio, ut in triangulo, quadrangulo.

Quid est forma?

Forma est ex numero, uel numerati proportione, proueniens qualitas.

Quid interest inter formam et figuram?

Quidam figuram & formam, hanc Græci μόρφην illam σχῆμα uocant, ita distinguunt, ut figura sit linearis effictio & expositio alicuius corporis, uel quæ tantum cogitatione complectatur. Forma uero concinna partiũ compositio, quæ sensu uisus comprehenditur, ut forma hominis, leonis, equi, canis, etc. Vel forma est ipsa species seu idæa & quasi conformatio inter se partium in aliquo corpore, quæ ex iusta partium proportione emergit. Hinc deformitas oritur quando uicium est in compositione, ut si est indecens figura, ut in capite Thersitis. Vel in numero, si partes sunt plures aut pauciores, ut sextus in manu aut pede digitus, uel in magnitudine & quantitate, quando partes non seruant iustam & naturalem proportionem, quando materia aut abundat aut deficit,

uel in situ & positu partium, ut in Vacia quando crus flectitur in partem exteriorem, uel in Varo quando crus flectitur in partem interiorem. Econtra uero formositas iustam & concinnam partium constitutionem sequitur. Ad hanc itaq; qualitatis speciem quartam referuntur omnes res artificiales quæ opera, industria, manibusq; fiunt artificium, quatenus forma ipsorum, h. e. exterior superficies consideratur, ut materia uestium, stola, chlamis, calceus, pilius, Item instrumentorum tam artis mechanicæ quam liberalis, ut forceps, malleus, penna, liber. Suppellectilis domesticæ, ut cantharus, cochlear, Item nomina ædificiorum, ut schola, templũ, theatrum. Deniq; figura omnium animalium astrorum & meteororum. Si uero ordo & proportio inter se partium consideratur, ut Trigonus constat ex tribus terminis, τέτραγονος quatuor clauditur terminis, tunc reuera figura est in prædicamento relationis.

DE RELATIONE.

Quid est relatio?

I. Relatio est rerum inter se collatarum unius ad alteram habitudo. Nam Relatiuum est uocabulum quod tantum refertur ad aliud, nec sine collatione

& re-

& respectu intelligi potest, ut si dicis, pater nihil intelligi potest, nisi etiam addas cuius sit pater. Versatur itaq; relatio inter duo, quorum alterum fundamentum, alterum terminus dicitur.

II. Fundamentum est res à qua oritur relatio. Terminus est res ad quam relatio tendit seu ordinata est. Inter hæc relatio est ipsa applicatio fundamenti ad terminum. Vt cum de parte dicimus, Fundamentum est persona quæ genuit. Terminus persona genita, Relatio est paternitas. Sic fundamentum limitis est lapis. Terminus est, id quod significatur, hoc est, distinctio agrorum. Relatio est ordinatio lapidis ad distinctionem agrorũ. Quinq; autem consideranda sunt in qualibet relatione, Primo absolutum unde oritur relatio, quod fundamentum aliàs dicitur. Secundo, Absolutum ad quod tendit relatio, & dicitur terminus, ut



Tertio consideranda est appellatio absoluti à quo oritur relatio. Quarto consideranda est appellatio absoluti ad quod relatio tendit. Quinto

qualis ſit relatio, hoc eſt, qualis ſit reſpectus fundamenti ad terminum.

CANON.

Cum inquiritur uocabulum functionis, fundamentum ſemper eſt perſona, Terminus uero eius officium.

III.

Cuilibet relatiuo reſpondet ſuum correlatiuum. Relatiua enim non poſſunt definiri ſine collatione, quare Ariſtoteles relatiua nominat πρὸς ἀντιστρέφοντα, ut pater, eſt filij pater, & filius eſt patris filius. Sic Dominus, eſt, ſerui dominus, & ſeruus eſt domini ſeruus.

IIII.

Fundamentum dicitur materiale in relationibus. Formale dicitur ipſe ordo ad terminum, ut in limite fundamentum eſt lapis, hoc nominatur materiale. Terminus eſt diſtinctio finium agrorum, Iam iſta ordinatio ut diſtinguat agros dicitur formale. Hæc regula latè patet non ſolum in communi uita, ſed & in Eccleſia eius eſt uſus. Verum circa hanc Regulam obſeruanda eſt quædam cautio omnino neceſſaria: MANERE materiale relationibus ſublatis, ut lapis poteſt relinqui in agro etiam cum non præſtet officium limitis. Ex hac regula ſoluitur uſitatum argumentũ, quod impugnat ſententiã adfirmantium

firmantium peccatum non hærere post baptismum in infantibus: Sublate formali res tollitur.

In Baptismo tollitur formale, Ergo
Res tollitur.

Respondeo ad Minorem, In baptismo tollitur formale peccati scilicett regnantis, quod est reatus seu ordinatio personæ ad æternam damnationem, sed manet materiale ac defectus.

Deinde, An leges Moisi ad nos pertineant.

Tres sunt partes legis Mosaicæ, Moralis, ceremonialis & forensis,

Ceremoniales leges dicuntur quæ externos gestus ordinant in sacrificijs, & loca tempora & personas distinguunt, & alia quædam exerticia externa præscribunt, ut sint signa & distinctiones politiæ Mosaicæ, Germanice Kirchen gepreng, Leges forenses sunt leges de externa defensione disciplinæ iuxta totum decalogum de Magistratibus, de pœnis, germanice, das henckergericht,

Moralis uero est ipse decalogus, qui omnes homines obligat perpetuo, quem Deus statim in creatione in mentes hominū fudit, et postea quando lex naturæ fuit obscurata post hominis lapsum, sæpe repetiuit. Sed ceremonialis & iudicialis erant latæ tantum isti populo, ut admoneret eos de promisso Meßia, quæ abolitæ sunt Christo exhibito,

uel

uel leges ceremoniales & iudiciales sunt abrogatæ et abolitæ quoq; ad speciem attinet, & non quod ad genus, hoc est, semper necesse est esse rliqua cæremonialia & politica officia, quia Deus uult humanum genus regi aliqua externa disciplina, ut cognoscant eum, & congruat cum ipsius uoluntate.

V.

Sæpe relatio uocabulo utimur loco absoluti, ut loco fundamenti, quemadmodum Medici dicunt, Temperamentis pro ipsis qualitatibus. Fortuna proprie significat causam latentem quæ gubernat euentum, ut, Si fortuna uolet fies ex Rhetore consul, Si uolet hæc eadem fies ex consule Rhetor. Item, Fortuna omnium potens & ineuitabile fatum, Nonnunquam autem usurpatur pro ipso euentu, ut Dum fortuna fuit.

VI.

Relationes aliæ sunt reales, aliæ rationis.

Reales relationes sunt aut applicationes, ut iustificatio est applicatio misericordiæ Dei acceptantis ad personam acceptam. Aut ordinationes, ut Scholasticus est persona ordinata ad discendam doctrinam de Deo, Aut collationes, Nobilitas est relatio realis, quæ est excellens inclinatio ad uirtutem, & habet fundamentum in prima, secunda &

ertia specie qualitatis. Cyrus est sapiens institutus octrina & præditus uirtutibus, habet naturales mpetus, naturale robur cordis quale non est in ulgaribus naturis, habet inclinationes & adfectus longe præstantiores, quam alij uulgares. Terminus est, istam distinctam esse à reliquis naturis. Nobilitas rationis est tantum distinctio gradus à eliquis naturis aut hominibus. Hæc relatio tantum oritur à cogitatione, & tantum appellatione discernuntur à reliquis hominibus.

VII.

Multis absolutis necessario quædam relationes adhærent, ut adfectibus & habitibus. Amor e habet relatiuè ad amatum. Fidutia ad illud, cui iditur, quod amplectitur. Hîc tamen discrimen obseruandum est inter relatiua secundum esse, & elatiua secundum dici. Relatiue secundum esse unt, quibus Aristotelis Regula conuenit: Quæcunq; hoc ipsum quod sunt, aliorum sunt, hoc est, Relatiua non significant res ipsas, sed tantum collationes rerum inter se.

Alia uocantur relatiua secundum dici, ea sunt absoluta uocabula, quibus tamen adhærent aliqui respectus, ut caput, amor, fides. Nam amoris essentia est quidam habitus cordis, sed tamen ei adhæret

respectus

respectus ad quam refertur uidelicet ad amatum tanquam suum obiectum.

DE ACTIONE ET PASSIONE.

Numerus prædicamentorum contrahi posset in quatuor classes, quemadmodum & Amonius fecit substantiam, quantitatem, qualitatem, & relationes. Nam sequentes sex ordines nihil aliud sunt, quam quidam gradus relatiuorum.

Quid est Actio?

Actio est, secundum quam in id quod subijcitur, agere dicimur, ut scribere, loqui, ambulare. uel

Actio est applicatio & admonitio agentis ad patiens.

Quid est passio?

Paßio est illatio, effectusq; actionis. Vel est applicatio pacientis ad agens, siue effectus actionis, Vt admoto igne ad aquam fit calefactio, quæ nihil aliud est quam applicatio caloris in igne ad patiẽs, nempe aquam. Ignis est agens, illa calefactio est actio, patiens est aqua, Ipsa paßio est effectus & receptio qualitatis nouæ in aqua nempe caloris. Sic generatio sanguinis fit in hepate & actiuè & paßiuè, ut cum dico generatio sanguinis fit in hepate,

pate, hic significat actiuè, quia mentio fit causæ efficientis, hepar enim sua naturali ui sanguinem efficit. Quando uero refertur ad chylum, ut chylus fit sanguis, hic significat paßiuè. Idcirco Physici adfirmant actionem & paßionem unum esse motum, hoc est, formam quæ transfunditur eandem esse, ac tantum terminis et relationibus differre, ut in uerberatione faciei una res est receptio ictus, seu ipse sensus partis percussæ, & actio percutientis.

CANON.

Nomina uerbalia quæ significant agere aut pati referenda sunt ad hoc prædicamentum. Est autem hoc loco agere nihil aliud quam uim suam in aliquid inducere, quod aptũ est recipere, ut hepar ex chylo denuo cocto sua substantifica uirtute generat χύλορ, in quo quatuor sunt humores apti ad hominem nutriendum, hoc hanc ob causam fit, quia χύλος, natura est talis, ut poßit fieri sanguis, & hoc propriè dicitur pati.

Actio Quotuplex est?

Triplex. Naturalis, uoluntaria seu ciuilis & sacra.

Actio naturalis est quæ oritur à naturali causa, ut actio naturalis est mali citrini reprimere et languefacere uim ueneni, Item actio naturalis est pæoniæ mederi Epilepticis, Naturalis actio ueneni est interficere hominem.

Actio

Actio uoluntaria est, quæ oritur à principio exteriore, ut sedere, scribere, legere, canere, et sunt officia uirtutum & artium. Actio sacra quæ ad Dei cultum & religionem pertinet, & uocatur ritus seu ceremonia qua cum Deo agimus.

Pasiones quotuplices?

Duplices. Aliæ sunt corporis, ut uri, calefieri. Aliæ Animi ut irasci, timere.

VBI.

Quid est ubi?

Vbi est notatio loci et comprehendit discrimina locorum.

Est ne idem ubi & locus?

Non. Nam ubi est quæ à loci circumscriptione procedit corporis locatio. Locus uero est superficies corporis concaua continentis locatum. Superficies est duplex, Concaua et conuexa. Concaua superficies est quæ in circulo aut corpore globoso respicit centrum. Conuexa uero quæ extra centrum consistit.

Quotu-

Quotuplex est locus?

Duplex. Communis & Proprius.

Communis est, qui continet mediate corpus liquod, in quo continentur et alia, ut in uase con-inentur corpora aliqua quæ uas implent, et uacu-m adhuc in uase implet aër.

Proprius est superficies immediate continens orpus. Vt si cantharus collocatur in aquam con-aua superficies aquæ, quæ continet cantharum icitur locus, Cantharus corpus contentum, super-cies concaua dicitur.

Quæ sunt locorum differentiæ?

Superius Dextrum Antrorsum	&	Inferius. Sinistrum. Retrorsum.

QVANDO.

Quid est quando?

Huius prædicamenti magnus est usus, Nam uando & ubi sunt lumina omnium historiarum,

hoc est, Nulla res est quæ adferat maius lumen hi-storiæ quam temporis & loci consideratio, ut qui-libet ualde adficitur quando seriem & ordinem temporis intuetur in historijs Ecclesiasticis, quibu[s] temporibus quilibet Propheta fuerit, quando Chri-stus in hunc mundum uenit, & miseram massan[m] humani generis in utero uirginis Mariæ suscepit, quam diu docuit, quando passus est, quando à mor-tuis resurrexit, & sua resurrectione aperuit uiam credentibus, quando ascendit in cœlum, &c. Sic e[t] in prophanis, ut in rebus gestis Alexandri Magni, quando & ubi cum suis hostibus congressus est. Deinde temporis consideratio habet usum in com-muni uita, iuxta illud: Inseruiendum esse tempo[ri]. Item, Tempore datæ medicinæ prosunt, non te[m]-pore datæ, nocent. Est itaq; QVANDO, quæ r[e]-linquitur ex tempore, rerum affectio, uel est gen[us] nominũ temporalium, ut heri, hodie, cras et cete[ra] quibus compræhendimus temporum differentia[s].

Quid est tempus?

Aristoteles definit: χρόνος ἐστὶ ἀριθμὸ[ς] κινήσεως κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον, hoc e. Te[m]-pus est motus mensura secundum prius & pos[te]-rius. In quocunq; motu, ut in ambulatione, non a[lia] res est duratio & successus nisi ipse motus. Et p[ar]-ti

ium huius durationis seu successionis inter se collaio secundum prius & posterius, dicitur tempus.
Quare Themistius adfirmat motum & tempus.
uera esse eadem, sed ipsius motus durationem ditempus. Vt Horologium metitur tempus & 60.
inuta constituunt horam & fit subinde motus ab
no momento ad aliud, quia motus proprietas est,
eri successiue, illa continuata successio, obseruatur
umero, confertur prius ad posterius, prius recest, posterius succedit & sequitur, Illa numeratio
otus seu successionis in motu est tempus. Estq; tem
us triplex, præsens, præteritum & futurum, quæ
irgilius in Georgicis in suo Versu complexus est:

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox uentura trahantur.

Horum uero appellationes sumuntur à mobus luminum cœlestium tanquam partium prinipalium.

SITVS.

Quid est Situs?

Situs est collocatio seu positio corporis & pariū, qua stantia, sedentia, aspera, leuia, dura, mollia,
& huiusmodi di cuntur. Nam graue, leue, durum,

molle, rarum, densum, lubricum, aridum, non qu
ad tactum, sed quod positionem & collocatione
partium intelliguntur. Crassa itaq; sunt quoru
partes prope cohærent. Tenuia, quorum partes d
stractæ atq; disiunctæ sunt. Leuia es quorum pa
tes in rectum directæ sunt quodammodo, hoc e
quæ æqualem habent superficiem. Pertinent aute
ad hanc categoriam omnia uerba quæ Neutra
Grammaticis uocãtur, quæ situm aut positum co
poris declarant, ut saltare, stare, sedere, &c. N
mina etiam à quibus hæc uerba ducta sunt, huc r
ferenda sunt, ut situs, accubatio.

HABITVS.

Quid est habitus?

Habitus est ratio uestiendi corpus, & co
prehendit nomina uestium, ut armatum esse, tu
catum esse. Hoc prædicamentum bene est obserua
dum, quia plurima iudicantur ex uestitu & habi
bus. Herodotus, Mulier una cum uestu exuit pud
rẽ. Et Thucidides de Pausania qui mutauit uest
et inducit Persicas statim dixit, illum uoluisse P
sis patriam prodere. Itaq; decet singulos honeste
stitos esse, quia animorum leuitas uarietate uesti
arguitr.

guitur. Hic tamen obſeruandum eſt, nomina ue-
um referri ad hanc categoriam, nempe, quando
ſtiendi ratio conſideratur, quando uero ſpectatur
rma & materia, tunc in alijs eſt prædicamentis.

Quis eſt uſus prædica-mentorum?

Proſunt ad definitiones, diuiſiones & ad in-
nienda argumenta. Monſtrant enim genera, ſpe-
s & circumſtantias rerum. In definiendo oſten-
nt genus, ut homo animal. In diuiſione ſup-
ditant ſpecies, ut animalium aliud eſt homo,
ud brutum. Item notitia alia eſt ſcientia,
a opinio. In argumentatione uero ſumuntur
obationes à genere, à ſpecie, Deinde quia poſte-
ora quatuor prædicamenta continent loci, tem-
oris, geſtus & inſtrumentorum circumſtantias,
gnunt amplificationes illorum deſcriptiones, ut
odius pugnam fecit ex loco ſuperiori & inſidijs,
oto, ueſperi, expeditus in equo armatus, & ſtipa-
s ſeruis barbaries, gladiatoribus, Ergo ueriſimile
t illum habuiſſe conſilium faciendæ cædis, quem-
dmodum ex ſuperioribus, ubi de prædicamento-
um utilitatibus dictum eſt, patet.

Post prædicamenta magis pertinent ad Grammaticam quam ad Dialecticam, quia est tantum aliquorum uocabulorum ambiguorum explicatio.

DE DEFINITIONE.

Quid est definitio?

Definitio est oratio quæ quid sit id de quo agitur breuiter ostendit & declarat.

Quotuplex est definitio?

Duplex, Alia est nominis, alia rei.

Nominis est qualiscunq; uocabuli interpretatio, ut sacrilegium est sacræ rei ablatio. Solstitium est solis statium, Vt cum dico: Aristides est iustus, ibi significat habitum & uirtutem in Aristide. Sed quando dico, Paulus est iustus, hic non significat habitum seu qualitatem in Paulo, sed acceptum seu placentem Deo, quia uocabulum iustificare in lingua Hebræa non significat infusionem qualitatum nouarum, ut cum dicimus calefacere aut frigefacere, sed significat imputationem seu acceptationem personæ, cum qua postea communicata est iustitia inhærens, id est, datur renouatio Spiritus sancti, qui

inchoa

ichoat nouas uirtutes & qualitates congruentes
um lege Dei. Significat ergo IVSTIFICARE
n doctrina Ecclesiæ absoluere à peccatis, non trans
fusionem qualitatum aut uirtutum in personam.

Via usitatißimo more apud Hebræos significat uocationem, ut Hieremiæ 10. Scio Domine quod non sit hominis uia eius, hoc est, Nulla uocatio potest regi solis humanis uiribus.

Matth. 26. Si poßibile est transeat à me calix. Calix usitate in lingua Hebræa significat portionem cuiq; attributam, siue bonam siue malam, Latini uocant demensum, hoc est, oro, ut istud immensum opus seu onus calamitatum quod mihi imponis transeat à me, quia in Christo erat natura humana integra, quare etiam fuga erat aliqua mortis. Sed uoluntas retinens propositum obtemperandi Deo, deinde quoq; imperat cordi, ut obtemperet rationi.

REI uero (ut inquit Aristoteles) est, quæ quid est esse significat, hoc est, oratio explicans, quæ sit rei natura & essentia. Hæc definitio si est plena & perfecta constat ex genere & differentia, ut Homo est Animal rationis particeps. Iustitia est uirtus uni-

cuiq; suum tribuens. Persona est substantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata ab alio.

Quæ præcepta debent obseruari in definiendo?

Primo necesse est rei, quæ definienda est, naturam & essentiam perfectam & integre scrutari & intelligere, qui eam definire uult, ne definitum plura complectatur quam definitio, aut definitio plura quam definitum, hoc est, Ne definitio deficiat aut abundet, ut Philosophia est rerum diuinarum & humanarum cognitio. Hæc definitio latius patet definito, quia Philosophia est cognitio Logices, Physices & Ethices, quantum humana ratio, in hac natura corrupta assequi potest, nihil enim tradit de relligione, sed est distincta à scriptis sacris seu Ecclesiasticis.

Peccatum est dictum uel factum uel cogitatum contra legem Dei. Hæc peccati definitio est angustior definito, quia tantũ intelligit peccata actualia exteriora, non fit mentio aut non complectitur peccatum originis, quod est defectus omnium uirium seu totius hominis, qui in omnem posteritatem propagatur. Sed integra & perfecta definitio peccati

peccati est hæc, Peccatum est defectus, uel inclinatio, uel actio, in natura rationali, pugnans cum lege Dei, offendens Deum, & commerens pœnas æternas, nisi fiat remißio propter filium mediatorem. Secundo ut ipsam rei substantiam explicet, non tantum accidentia aliqua, aut aliud quiddam, ut febris est quam sequitur magna sitis, Sed febris est morbus qui fit ex intemperie calida & sicca, quando incenditur calor præter naturalis in corde, lædens actiones.

Tertio ut sermo orationis non sit obscurus, ambiguus, sed sit proprius & natiuus non peregrinus. Ex his intelligi potest usus uocum communium & categoricarum, sine quarum perfecta & solida cognitione definitiones erigi non possunt. Sunt autem quatuor formæ definitionum.

Essentialis siue substantialis,
Causalis
Parcialis &
Accidentalis.

Licet aliqui & quintam formam addant, uidelicet quæ struitur ex effectibus & proprio officio, tamen reuera sub his quatuor generibus comprehenditur, quia effectus causam necessario sequitur, iuxta illud: Posita causa necessario sequitur effectus, Et qua non posita, non sequitur effectus.

& contra, posito effectu necesse est causam adesse uel antecessisse. Habent se itaq; relatiue.

Quid est definitio essentialis?

Essentialis est quæ constat genere differentiaq; propria. Vt homo est animal rationis particeps. Hæc ideo nominatur essentialis, quia essentiam & substantiam rei exprimit. Etsi autem proprie tribuitur essentialis, quæ ponuntur in primam categoriam, substantiam uidelicet, tamen reuera & ijs, quæ in cæteris sunt prædicamentis, tribui potest, quando accidentia per sese ipsa considerantur, ut uirtus est habitus animi, conueniens cum recta ratione, Habitus animi est genus, conueniens rectæ rationi est differentia, qua separatur uirtus à suis oppositis, seu extermis nempe uicijs. Verum cum impoßibile ferè sit statuere definitiones absq; accidentibus, huius formæ definitiones sunt quam paucißimæ.

Quid est Causalis?

Causalis est quæ ex genere & causis constat quando uidelicet una uel plures causæ loco differentiæ ponuntur, & propriè dicitur, ubi mentio fit causæ efficientis & materialis, essentialis, quia consti-

constituunt essentiam rei, ubi uero efficientis, propriissime causalis nominatur, Vt cultus Dei est opus à Deo mandatum, quod principaliter eo fit, ut præstetur Deo obedientia & honos, & fit cum agnitione Christi, hac fide quod propter eum patri placeat Opus à Deo mandatum, est genus, ut præstetur, &c. est causa finalis.

Cometa est moles halituum extracta in superiorem regionem aëris ex infausto stellarum congressu trium planetarum ♄ ♂ & ☿ motu seu agitatione incensa in aëre, significans motus imperiorum, pestiferas qualitates & inusitatas siccitates. Genus est moles, Efficiens, coniunctio planetarum infausta, Finis significare mutationes regnorum, pestiferas qualitates & siccitates inusitatas,

Apoplexia est morbus, qui fit cum lentus, uiscosus seu uenenatus halitus & uapor descendens de uentriculis cerebri obstruit principia neruorum. Genus est morbus, Causa efficiens & materialis, craßi & uiscosi humores. descendentes & obstruentes principia neruorum in aliqua parte corporis.

Nutritio est conuersio alimenti in substantiam corporis animati facta ui caloris naturalis, ut instauratio fiat in eo quod absumi cœperat.

Primo,

Primo fit mentio formalis, deinde efficientis, postea finalis.

Partialis quid est?

Partialis est quæ ex partium enumeratione constat. Partes essentiales sunt materia & forma. Integrales uero omnes partes totius, ut Medicina est ars quæ tuetur ualetudinem aut suauitatem præsentem, aut absentem acquirit & morbum propellit, aut medicamentis aut manu. Corpus animatum est quod cõstat ex capite, thorace, uentre, brachijs & pedibus.

Accidentalis quid est?

Accidentalis est quæ ex genere & accidentibus colligitur, Vt, Malum est quiddam inordinatũ & dißipatiuum sui. Huc pertinent definitiones herbarum, plantarum, germinum apud Discoridem, Item nomina animantium, gemmarum &c. ut Magnes est lapis qui ferrum ad se trahit & allicit. Hoc modo Vergilius describit malum Medicum, quem uulgo Citrinum uocant: Media fert tristes succos traduntq; sapores.

In personis describendis & prosopographijs utimur definitione ex accidentibus, ut Cæsar

fuit statura excelsa, condido calore, ore pleniore, oculis nigris & uegetis.

DE DIVISIONE.

Quid est diuisio?

Diuisio est generis in species per differentias diductio. Vel est communioris in minus commune distributio. Huius utilitatem agnoscunt tum & docentes, tum & discentes, commodissime docent qui materiam cuiusq; artis primo breuibus & rotundis definitionibus proponunt, ac postea ordine distribuunt & distinguunt, singulasq; particulas enarrant, ut usitate dicitur. Qui bene distinguit, bene docet, quia omne multiplex parit ambiguitatem. Hoc experiuntur etiam discentes, quia facilius definitiones & diuisiones illis inhærent, quam aliquid confusum & indistinctum. De hac re concionatur Paulus cum iubet ὀρθοτομεῖν, hoc est, recte secare uerbum Dei. Sumptum est uocabulum à sacrificijs, in quibus singularis ars erat recte partiri uictimas. Habet ergo usum in doctrina Ecclesiæ & communi uita. Sic & Boetius libro de diuisione inquit: Andromicum scriptum reliquisse, diuidendi scientiam summo in honore fuisse apud

Peri-

peripatheticos,quod nihil ſine hac dilucide & perſpicue explicari poſſet. Et Quintilianus lib. 4. Cap. 3. Item lib. 11. cap. 1.

Nam qui recte diuiſerit, nunquam poterit in rerum ordine errare. Et Socrates in phædro Platonis ait: Se maximè cupidum eſſe diuiſionis,quod ſine his nihil neq; explicari dicendo, neq; intelligi poßit,ac ſi quem deprǽhenderit peritum diuidendi (hunc inquit) ſe aſſectari, eiusq; tanquam Dei ueſtigia ſequi, & iubet diuidentem in ipſis articulis membra ſecare,ne quod membrum mali coqui more quaſſatum frangat. Sunt itaq; eius utilitates quatuor. Primo prodeſt ad rei naturam demonſtrandam, magis enim perſpicuè cernitur cum partes et membra explicantur, Secundo conducit ad explicandas ſententias obſcuras & ambiguas, ſæpe enim genus pro ſpecie uſurpatur, Ibi generalitas parit ambiguitatem,quæ tollitur diuiſione,ut Vindicta eſt prohibita, Non uindicantes uoſmetipſos: Nomen generis ſcilicet uindicta uſurpatur pro certa ſpecie,nempe pro uindicta priuata. Tertio conducit ad definiendum. Nam & genus & differentia per diuiſionem inueſtigatur. Quarto parit copiam orationis. Nam cum unum aliquod quod multa ambitu ſuo comprǽhendit, diuiditur & in partes ſpargitur,ut hæc ſententia, In omni genere artium

artiũ eruditus est, multo splendidior et uberior est oratio, cum multæ artis species recensentur, ut exacte tenet artem pure & proprie loquendi, disputandi, orandi ornate, nouit Phisica quæ rerum naturam scrutantur, nouit ethicen, quæ est uirtutum explicatio, &c.

Quot sunt formæ diuisionis?

Quatuor.
Vocabuli in sua significata
Generis in species,
Totius in partes,
Subiecti in accidentia.

Quæ est uocabuli diuisio?

Diuisio uocabuli est cum alicuius uocis polysimæ diuersæ significationes recensentur, ut Gallus aliàs auem, aliàs gentem, aliàs Eunuchum. Iustitia aliquando uniuersalem obedientiam significat erga omnes leges. Aliquando particularem, quæ unicuiq; suum tribuit. Aliquando pro imputatione iustitiæ, & diuina acceptatione usurpatur, ut in sermone Apostolico.

τέλος.

τέλος aliquando finem, aliquando uectigal significat.

Quæ est diuisio generis in species?

Cum genus in suas species distribuitur proximas, idq; per differentias fieri debet. Atq; hæc propriè diuisio uocatur, ut animal diuiditur in hominem & pecudem per rationale & irrationale. Ruere contra conscientiam est discrimen inter peccatum mortale & ueniale.

Quatuor sunt genera pœnarum in Ecclesia, aliæ sunt pœnæ, ut calamitas & exilium Dauid & primorum parentum. Aliæ sunt probationes, ut calamitates Iob, & omnium piorum. Aliæ sunt testimonia immortalitatis & confessionis, ut mors Eliæ, Zachariæ, Baptistæ. Quarta species est λύτρον sufficiens compensatio pro alienis peccatis. Sex sunt species motus, generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, secundum locum mutatio.

Quæ est diuisio totius in partes?

Cum totum in partes secatur, & hæc propriè partitio

partitio nominatur, ut corpus humanum secatur in caput, brachia, pedes, uentrem. Interest tamen inter partitionem & diuisionem idem quod inter partes & species. Deinde omnibus speciebus conuenit definitio generis, ut animal tàm prædicatur de homine quàm de equo aut boue, uirtus tam dicitur de fortitudine qumà de iustitia: Sed nulli parti conuenit definitio totius, ut homo est animal rationale, Non possum dicere, caput est animal rationale, pedes sunt animal rationale, Tectum est domus, paries est domus.

Quæ est diuisio subiecti in accidentia?

Diuisio subiecti in accidentia est, cum uidelicet subiecti alicuius accidentia numerantur. Vt Bestiarum aliæ sunt feræ quæ non possunt cicurari, Aliæ sunt mites. Huc referendæ sunt illustres descriptiones personarum. Duo illustria exempla recensentur apud Thucydidem in I. lib. Themistoclis et Periclis. Apud Liuium Scipionis 4. Decade lib. 9 Ingenium fuit illi tàm uersabile, ut ad id unum quod ageret natum diceres. Tales coaceruationes accidentium dicuntur diuisio subiecti in accidentia. Phœnix ad Achillem, Pater tuus ideo me tecum

 misit,

m,it,ut efficerem te oratorem uerborum & factorem rerum.

REGVLÆ DE DIVISIONE.

I.

Diuisio debet fieri in proximas species seu differentias, non in remotiores, ut habitus animi diuiditur in habitum intellectus & uoluntatis. Si uerò habitum animi diuidas in iustitiam, temperantiam, fortitudinem, tanquam differentias remotiores, non uera est diuisio, Nam ueritas, iustitia, furtitudo sunt species uirtutis, uirtus uero est species habitus uoluntatis.

II.

Diuisio debet fieri in species directè oppositas, ut corpus animatum diuiditur in animal & stirpem, quæ directè sunt inuicem opposita. Verum si corpus animatum diuiditur in stirpen & bouem, uiciosa est diuisio, quia bos non è regione opponitur stirpi, Sed animal, cuius species est bos.

III.

In diuidendo cauendum est, ne species aut pars aliqua prætermittatur, aut ne diuisio plura complectatur quàm res quæ diuiditur: Vt Cicero in officijs:

fficijs: Præterire aliquid maximum est uicium in
iuidendo. Idem in Bruto: Genus uniuersum in
pecies certas, ita ut nulla neq; prætermittatur, neq;
edundet, parcietur & diuidetur. Sumun-
tur autem differentiæ ab his præcipuè locis se-
cundum Agricolam.

A forma, ut corporum aliud animatum, aliud
animatum.

A materia, ut arborum aliæ ex semine, aliæ
onte nascuntur.

Ab efficiente, Animalium aliud parentis effi-
tia, aliud calore Solis, aliud ex putrefactione
citur.

A fine, Domesticarum rerum aliæ ad necessi-
tem, aliæ ad uoluptatem pertinent.

A destinatis quæ ad finem pertinent, ut uictus
rrandi causa alij laborant, alij fœnorantur, alij ra-
unt ui, alij fraude & astutia subducunt.

Ab effectis, animalium aliud fœtum, aliud
uum parit.

Ab actione, Hominum alius studio, alius uo-
ptati, alius lucro operam dat.

Ab accidentibus, animalium aliud mansuetum,
iud ferum.

A relatis, hominum alij sunt liberi, alij serui.

A loco, animalium aliud terra, aliud mari degit.

A tempore, florum alij uerno, alij æstiuo, alij autumnali tempore producuntur.

Sumuntur etiam differentiæ ab habitu, hoc est, à nominibus artium & uirtutum, Item à subiectis aut à proprio officio.

DE METHODO.

Quid est Methodus?

Methodus est uia directa inuestigandi & explicandi quæstionem.

Quotuplex est Methodus?

Duplex.

Generalis & Specialis.

Quid est Generalis?

Generalem uocant formam constitutionis artium. Huius Galenus facit tres species, quarum prima est resolutiua, secunda compositiua, tertia definitiua.

Qu

Quid est resolutiua?

Resolutiua est quando omnes propositiones ita
stribuuntur, ut finem in arte proposita explicent,
uem eum assecuti fuerimus etiam ipsam artem re-
e tenere iudicamur. Hæc itaq; uia à posteriori ad
riora procedit, Hac utitur Galenus in constitu-
one artis medicæ.

Quid est compositiua?

Compositiua est quando à simplicibus & pri-
s elementis progreditur ad ipsum finem, & hæc
a ducit à priore ad finem, sicut patet in Geome-
ia, quæ à punctis, lineis, superficiebus progredi-
r ad mensurationem omnium corporum.

Quid est definitiua?

Quæ per definitionem præcipua artis capita
plicat. Tales sunt aphorismi Hipocratis.

Quid est specialis?

Specialem methodum uocant usitatas decem
æstiones, per quas singulæ quæstiones solent
aminari, ut quid significet, quid sit, & an sit etc.

Exempla Methodi.

DE MANSVETVDINE.

Quid est mansuetudo?

Mansuetudo est uirtus quæ moderatur uindictæ cupiditatem & iracundiam, ne in alios impetum faciat, nisi uel officij ratio postulat, uel necessaria defensio, uel,

Mansuetudo est, non tantum lædere non lædentem, sed etiam lædenti parcere propter probabilem causam.

Quæ causæ?

Causa efficiens mansuetudinis est dictamen siue iudicium rectæ rationis, quod indicat cohibendam & frenandam esse iracundiam. Et uoluntas obtemperans iudicio rectæ rationis.

Causa materialis. Accidentia non habent materiam ex qua, sed habent materiam in qua. Subiectum itaq; est anima hominis & uoluntas. Obiectum uerò est ira uel motus cordis & animi impetus.

Formalis causa est illa ipsa gubernatio membrorum & cordis motuum extinctio.

Fina

Finales. Prima ne impediatur inuocatio & petitio remißionis peccatorum, quia sine mansuetudine et condonatione non potest peti nec retineri remissio peccatorum coram Deo, iuxta illud Christi: Si non remiseritis. Item remittite & remittetur uobis. Et Nazianzenus:

εἰδ᾽ οἶδας ὄφλον καὶ πρόχειρον τὸ πταῖον,
οἰκτῷ γὰρ οἰκτὸς τε θεῷ στασιάζει.

Secunda quia uindicta Deo est tribuenda, iuxta illud: Mihi uindicta ego retribuam.

Tertia, quia & nos habemus delicta, errata & næuos pœna dignos, iuxta illud: Quidcunque uultis, ut alij uobis faciant &c.

Quarta, propter concordiam & tranquillitatem publicam, Nam nobis soli nos non uiuimus.

Qui effectus

Pax & concordia & alia bona innumerabilia huic uirtuti diuinitus promissa & attributa, Matthæi 5. Beati mites quia poßidebunt regnum Dei:

Quæ cognata?

Clementia, patientia, humanitas quæ uniuersalis iustitia dici posset, quia complectitur omnes ferè uirtutes, & est iusta ac consentiens harmonia omnium uirtutum.

Quæ pugnantia?

Iracundia, seditio, crudelitas.

Huius uirtutis Exemplum *insigne habemus in Imperatore* MAVRITIO, *crudelitatis in* PHOCA.

Mauritius Imperator *qui cum esset captus ab homine seditioso Phoca capitanio suo, iußit Phocas adduci paruum filiolum Mauritij ac interfici, deinde uirginem nubilem atq; uxorem, tunc demum clamauit Mauritius,* IVSTVM EST IVDICIVM DOMINI, *postea & ipse capite truncatus est. Ac talis fuit uirtus in eo ut noluerit alium interfici pro suo: Nam nutritor magno amore motus suum infantem adduxerat, ut interficeretur pro imperatoris filio, uerum posteaquam cognouisset pater, clamauit non interficiatur, non est meus, tandem infans allatus est ac interfectus.*

DE LIBERALITATE.

Quid est liberalitas?

Liberalitas est uirtus qua gratis communicantur res & officia opera & facultatibus egentibus secundum rectam rationem.

Quæ

Quæ ſpecies?

Liberalitas duplex eſt, alia publica alia priuata:

Quæ eſt publica?

Publica eſt quæ conſtituit & defendit res publicas. Iſtuc referendi ſunt doctores, qui communicatione doctrinæ uberrimum fructum reipub: adferunt.

Quæ eſt priuata?

Priuata liberalitas eſt cum res & operæ communicantur priuatis.

Quæ cauſæ?

Cauſæ efficientes iuxta Philoſophos ſunt duæ, Iuditium rectæ rationis & uoluntas obtemperans, Verum ſecundum doctrinam Chriſtianam ſunt quatuor, Verbum & mandatum Dei, Spiritus ſanctus, Mens aſſentiens & uoluntas obtemperans.

Materia in qua, Eſt uoluntas.

Materia circa quam ſunt operæ.

Cauſa formalis eſt ipſa gratuita rerum & officiorum communicatio.

Causa finalis iuxa Philosophos est ipsum decus uirtutis: Secundum scripturam sacram, Vt Deo præstetur debita obedientia, & ut gloria Dei illustretur, etiamsi nulla sequeretur utilitas. Minus principalis sunt fructus & præmia quæ benefactoribus promittuntur, ut datæ & dabitur uobis.

Qui effectus?

Effectus sunt ingentia præmia tàm corporalia quam spiritualia, Psal. 40: Beatus qui intelligit super ægenum & pauperem. ET apud Thobiam: Redimite peccata uestra eleemosinis.

Quæ cognata?

Iustitia, Parsimonia, Hospitalitas, frugalitas & gratitudo.

Quæ pugnantia?

Auaritia & prodigalitus.

LIBER SECVNDVS.

DE PROPOSITIONE.

PRæcipua Dialectices officia sunt tria, definire, diuidere, & argumentari. Absoluti itáq;

itaq; duobus prioribus, uidelicet definitione & diuisione, per quæ quæstio simplex explicatur in libro primo, sequitur iam tertium, nempe argumentatio, qua propositiones aut confirmantur, aut refutantur. Quia autem de argumentatione sequentia intelligi non possunt, absq; propositionum solida cognitione, expositio & tractatio illarum, præmittenda est,

Quid est propositio?

Propositio est oratio indicatiua sententiam certam sine ambiguitate significans, græcæ πρότασις, uocatur etiam ab Aristotele ἀπόφανσις uel λόγος ἀποφαντικὸς, latine, Enunciatio à Cicerone, nunc enunciatum, nunc pronunciatio, nunc pronunciatum, nunc effatum, nunc profatum, & Græcis ἀξίωμα secundum Ciceronem 1. Tusculanarum quæstionum. Idem 2. de finib: & libro de fato, A Marco Catone proloquium uocatur, Vt uirtus est finis hominis, Sol maior est terra.

Quot sunt partes propositionis?

Tres. Subiectum, Prædicatum & Copula.

Subiectum græcè ὑποκείμενον est nomen præcedens uerbum, uel est prior pars propositionis, uel de quo aliquid dicitur.

Prædica-

Prædicatum Græcè κατηγορούμενον est uerbum quod tribuitur nomini, uel quod de altero dicitur.

Copula est uerbum substantiuum, quo prædicatum & subiectum coniungit, Vt uirtus est finis hominis, uirtus est subiectum de quo aliquid dicitur, Finis hominis est prædicatum, quia tribuitur nomini. Est, est copula qua prædicatum subiecto copulatur.

Quot sunt propositionum *diuisiones?*

Quinq;. Prima est substantiæ in Categoricam & Hypotheticam.

Quid est Categorica propositio?

Categorica propositio est simplex sententia nomine & uerbo constans. Vel est una simplex indicatiua oratio terminis duobus constans, subiecto & prædicato. Vt cœlum mouetur

Quid est propositio hypothetica?

Propositio hypothetica est quæ duabus, ut minimum simplicibus propositionibus constat, ut, Si ex lege iustitia est, Christus frustra mortuus est.

Quid:

Ouid: Ipse licet uenias Musis comitatus Homere, Si nihil attuleris ibis Homere foras. Huius tres sunt species. Copulata, Disiuncta, et Connexa.

Quænam Copulata dicitur?

Copulata est quæ plures categoricas ita coniungit, ut ne tamen alia alij necessitate aliqua cohærere significetur, ut Liberalitatem iucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit. Inopiæ desunt multa, auaritiæ omnia.

Quæ dicitur disiuncta?

Disiuncta est, que plures categoricas propositiones ita coniungit, ut significet unam ex illis ueram esse oportere: ut, Aut dies aut nox est, Aut amat aut odit mulier, nihil est tertium.

Quæ est Connexa?

Connexa est, quæ significat partem priorem sine posteriore ueram esse non posse, ut si pluit, terra madescit, occidente Sole, uesperascit.

SECVNDA est qualitatis, quæ diuiditur in affirmatiuam & negatiuuam.

Quid est affirmatiua?

Affirmatiua est cum prædicatum de subiecto

affirma-

affirmatur, ut Sol est maior terra, Luna est minor terra.

Quid est negatiua?

Negatiua est, cum prædicatum negatur de subiecto. Vt Terra non mouetur. Cometa non est Stella.

TERTIA *quantitatis, in Vniuersalem, Particularem, Indefinitam & Singularem.*

Quid est uniuersalis?

VNiuersalis est quando signum uniuersale præponitur subiecto, ut sunt, Omnis, nullus, quilibet, nemo, Et particulæ exclusiuæ, ut tantum, solum, duntaxat. Vt, omnis stella est perpetuum corpus. Nullus Cometa est perpetuũ corpus. PARticularis, quando subiecto præponitur signum particulare, Vt quidam, aliquis, pleriq;, plerunq;, reliqui, Vt quidam adfectus sunt uiciosi, quidam non sunt uiciosi, Item.

Curando fieri quædam peiora uidemus.
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

INDEfinita, ubi aliquid de specie dicitur absq; ullo signo, siue uniuersali siue particulari, Vt Anima hominis est immortalis. Conscientia mille testes, Virtus est summum bonum.

Singu-

SINgularis, quando subiectum est nomen proprium siue indiuiduum, ut Cæsar uicit Pompeium. Alexander Magnus gessit bellum cum Dario

CAVTIO.

Particulæ exclusiuæ pariunt propositiones uniuersales, ut sola fides iustificat.

QVARTA diuisio propositionis est, in ueram & falsam.

Quid est propositio uera?

Vera est quando propositio cum re consentit, ut Iustitia est uirtus, Deus est iustus.

Falsa, quando oratio non consentit cum re, ut uoluptas est finis hominis, Mundus est æternus.

QVINTA de materia propositionum, Alia enim est necessaria, alia contingens, alia impossibilis, quare & triplices sunt propositiones, necessariæ, contingentes & impossibiles.

Necessariæ propositiones sunt, quando uidelicet partes necessariò & natura cohærent, nempe quando prædicatum est uel species, aut genus, aut differentia, siue proprium subiecti. Vt Plato est homo, Homo est animal, Homo est rationale, Homo est disciplinæ capax.

Contin-

Contingentes cum prædicatum est accidens subiecti, ut Plato est Philosophus, Virgilius est Poeta, Alexander est ægregius bellator.

Impoßibiles seu ineptæ quando diuersæ species connectuntur, hoc est, ubi pugnantia sibi mutuo attribuuntur, ut Homo est equus. Hîc tamen obseruandum est, Adfirmatiuas sententias, semper falsas esse, negatiuas semper ueras.

Exempla.

Luxuriant animi rebus plerumq; secundis, quæ, qualis quanta? Categorica, adfirmatiua, particularis, id est, pleriq; animi luxuriant.

Veritas odium parit, quæ, qualis, quanta? Categorica, adfirmatiua, indefinita.

Ad has interrogationes traditur uersus obseruandus. Quæ Ca. uel Hyp: qualis, Ne. uel aff. V. quanta par. In. Sin.

Quod sunt accidentia propositionum?

Tria { Oppositio, Conuersio, Æquipollentia.

DE OP-

DE OPPOSITIONE.

Quid est oppositio propositionum?

Oppositio quæ à Græcis ἀντίφασις uel ἀντίθεσις, est duarum categoricarum enunciationum, uel in qualitate, uel in quantitate repugnantia: Qualitate ut contrariæ & subcontrariæ, uel quantitate ut subalternæ, uel quantitate & qualitate simul, ut contradictoriæ. Est autem usus oppositionis triplex, primum ut quis cognoscat quæ pronunciata sibi mutuo repugnent, & quæ consistere nequeant. Deinde ne quis sibi pugnantia dicat. Postremo conferunt & oppositiones locorum contrariorum & inuersionem & Enthymema Rhetorum quod fit ex contrarijs.

Quot sunt species oppositionis?

Quatuor.

I. Contraria est uniuersalis affirmatiua & uniuersalis negatiua, ut omnes homines sapiunt, Nemo hominum sapit.

Quæ est natura contrariarum?

Contrariæ nunquam simul possunt esse ueræ, aut simul falsæ in materia necessaria. In materia uero contingenti simul possunt esse falsæ. Vt omnis homo est cupidus gloriæ, Nullus homo est cupidus gloriæ.

Prior est uera, Ergo altera est falsa,

Omnes Græci sunt uani.

Nulli Græci sunt uani, utraq; falsa est.

II. Subcontraria est particularis affirmatiua & particularis negatiua.

Quæ est natura subcontrariarum?

In materia necessaria nunquam sunt simul falsæ. Sed in materia contingenti utraq; uera esse potest. ut

Quædam iustitia est uirtus, quædam iustitia non est uirtus.

III. Contradictoria est uniuersalis affirmatiua & negatiua. ut

Omnes homines sunt sub peccato, Quidam homines non sunt sub peccato.

Duæ singulares.

Christus est mediator.

Christus non est mediator.

Quæ

Quæ est natura contradicentium?

Contradicentes nunquam sunt aut simul ueræ, aut falsæ, ut, Nullum nostrum opus iustificat, Quoddam nostrum opus iustificat.

IIII. *Subalterna est uniuersalis & particularis utraq; affirmatiua & negatiua, Vt omnis homo est mortalis, Quidam homo non est mortalis.*

Quæ est natura subalternarum? pugnant ne?

Non. Sed ex uniuersali recte sequitur particularis, ut nullus homo, nisi fuerit renatus ex aqua & spiritu poterit ingredi in uitam æternam. Ergo infantes nisi renati fuerint ex aqua & spiritu, non ingredientur in uitam æternam, per consequens infantes opus habent baptismo.

Quæ sunt obseruanda in oppositione?

In oppositione non sint uoces ambiguæ & uagæ, nec referantur ad res diuersas, nec ad diuersos modos, aut tempora diuersa, nec in alijs circumstantijs sit diuersitas. Non est ergo uera

propositio, cum aut uoces ambiguæ sunt, aut conferuntur diuerso respectu, ut omnes Christiani sunt liberi, Nulli Christiani sunt liberi, Hic est ambiguitas in nomine libertatis, in priore significat remissionem peccatorum, In posteriore uero πολιτικῶς pro immunitate onerum ciuilium. Item, Credentes sunt iusti, Credentes non sunt iusti, sunt iusti imputatione, non sunt iusti effectiuè.

DE CONVERSIONE.

Quid est conuersio?

Conuersio quæ græcis ἀντιστροφὴ dicitur, est conuersio qua propositionis terminus subiectus in prædicatum & prædicatus in subiectum uertitur. Vel conuersio est subiecti & prædicati commutatio in propositione.

Quot sunt species conuersionis?

Duæ { Conuerersio simplex & / Conuersio per accidens.

Alij addunt etiam tertiam nempe per contrapositinem.

Con-

Conuersio simplex est cum subiectum & prædicatum transponuntur, signis non mutatis.

Vbi habet locum hæc conuersio?

In uniuersali negatiua, & particulari affirmatiua, ut, Nullus uir est bonus & fraudator, Nullus fraudator est uir bonus. Hic est conuersio simplex, Prior uocatur conuersa, Posterior conuertens.

Particularis affirmatiua.

Quidam sancti sunt diuites
Quidam diuites sunt sancti.

Conuersio per accidens quid est?

Conuersio per accidens quæ Græcis ἐνδεχομένη est, cum non tantum subiectum & prædicatum transferuntur, sed etiam signum uniuersale in particulare mutatur. Vel cum pronunciatum particulare sequitur ex uniuersali. Vt, omnis quercus est arbor, Ergo quædam arbor est quærcus. Omnis homo est animal, Ergo quoddam animal est homo.

Addunt aliqui & tertiam speciem, uidelicet

κατὰ ἀνθίτεσιν hoc est, per contrapositionem, cum qualitas mutatur traducuntur etiam termini: ut; Omnis iustitia est uirtus, Quod non est uirtus non est iustititia. Omnis homo est animal, Quod non est animal non est homo. Hic & qualitas & termini conuertuntur, nam subiectum prioris pronunciati fit prædicatum posterioris: Et econtra prædicatum prioris fit subiectum posterioris. Deinde prior est uniuersalis affirmatiua, enunciatio uero altera negatiua & particularis.

Quæ est bona conuersio?

Si ex conuerso sequitur conuertens consequentia bona: ut nullus homo est asinus, Nullus asinus est homo.

Quæ est utilitas conuersionis?

Duplex est utilitas, Primo prosunt ad explicandum, Secundo ad argumentandum. Nam quod obscure dictum est, nonnunquam translatis uocibus planis explicatur, ut Iohan. 1. Deus erat Verbum. Hoc dictum per Conuersionem fit planius & lucidius, ut Verbum erat Deus.

Secundo ad argumentandum, Nam conuersiones

siones pariunt argumentationes, & per conuersionem syllogismi secundæ & tertiæ figurarum reducuntur ad primam mutata qualitate & quantitate.

Iuxta Regulam:

A CONVERSA AD CONVERTENTEM *ualet consequentia, ut Nulli credentes frena laxant cupiditatibus, Ergo nulli qui cupiditatibus frena laxant credunt.*

DE ÆQVIPOLLENTIA *Propositionum.*

Æquipollentia Græcis ἰσοδυναμία, *Sturmio Compositio & consensio propositionum est, cum duæ categoricæ enunciationes constante uno & eodem subiecto & prædicato, tum qualitate tum quantitate unam rem significant, uel, Cum duæ propositiones eandem uim habent, uel, sunt duæ propositiones synonimæ. Nam æquipollentiæ sunt mutationes sermonis, alijs atq; alijs uerbis factæ. Vt. nemo non trahitur uoluptate, æquipollet huic. Trahit sua quenq; uoluptas. Non omnes Germani sunt bibuli, æquipollet huic, Quidam Germani non sunt bibuli. Nemo non fit negligentior in otio, hoc est, Omnes fiunt negligentiores in otio.*

REGVLÆ DE ÆQVIPOLlentia.

I. REGVLA.

Cum negatio præponitur signo, propositio æquipollet contradictoriæ, ut non omnis homo sapientiæ studiosus est, æquipollet huic, Quidam homo non est studiosus sapientiæ.

Secunda.

Cum negatio postponitur signo, propositio æquipollet contrariæ, ut uniuersalis affirmatiua, & uniuersalis negatiua, ut Nemo non nouit, æquipollet, huic Quilibet nouit.

Tertia.

Cum negatio & præponitur & post ponitur, propositio æquipollet subalternæ, ut, Non omnes Græci non sunt uani, æquipollet huic, Aliqui Græci sunt uani.

REGVLÆ de interrogationibus.

Interrogatio sine negatione efficit sententiam negatiuam, ut, Quis talia fando temperet à lachrimis? hoc est, Nemo tam tristes casus sine lachrimis commemorare potest.

Interrogatio uero cum negatione ualet affirmatiuam, ut, Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? hoc e, ad omne scelus impellit auaritia.

LIBER TERTIVS.

DE ARGVMENTATIONE & formis argumentandi.

Quid est Argumentatio?

TERTIVS liber inscribitur de argumentatione κατὰ ἐξοχὴν quia in eo tradi solet omnium specierum argumentationis ratio concludendi, & quo pacto singulæ partes cuiuslibet speciei inter se cohæreant ac consentiant. Nam cum Dialectici oratio proprie eò tendat, ut id quod dubium est confirmetur, ut Plato dixit, Præcipuum munus Dialectici esse argumentari, siue ratiotinando rebus dubijs fidem facere, Nam hæc est natura argumentationis, ut quæstionem allatam ratione quadam probabili, eaq; in certam formam inclusa confirmet. Differunt autem argumentatio & argumentum.

Argumentum est probabile inuentum, uel ratio, qua inuenitur propositio, h. e. ratio, quæ confirmat propositionem, quæ ad faciendam fidem adhibetur.

hibetur. Nam argumentari nihil aliud est, quam aliquid ex alio colligere. Argumentatio uero est oratio qua ex notioribus ostenduntur, quæ minus erant notiora. Vel secundum Boëtium est argumenti per rationem explicatio.

Quæ sunt consideranda in argumentatione?

Duo sunt consideranda, Materia & forma.

Quid est materia?

Materia est qua fidem facere conamur & probare id quod propositum est, hoc est, est res quæ probationi alterius adhibetur,

Forma uero ostendit artificium quo indicatur, & iudicium fit, an omnes partes in argumentando recte & apte inter se cohæreant nec ne? quare formam uocant aptam connexionem omnium partium in argumentando.

Quid est bona consequentia?

Bona consequentia est, legitima connexio & coagmentatio propositionum consentiens cum regulis Dialectices.

Quot sunt formæ argumentationis?

Quatuor

Quatuor usitate recensentur.

Syllogismus
Enthymema
Inductio
Exemplum.

Sed his recte additur Socrates.

Quid est Syllogismus?

Syllogismus deducitur ἀπὸ τοῦ συλλογίζειν quod significat rationari, uel raciotinando aliquid certi cum ratione colligere, à Cicerone ratiocinatio, & rationis conclusio, argumentiq; conclusio, A Quintiliano aggreßio, ratiocinatiuum & collectiuum, Germanice rechnung nominatur. Est autem syllogismus oratio, in qua ex tribus terminis. qui propositiones duas afficiant, necessario conclusio aliqua consequitur, ut

Omnis contumelia aduersus Deum est punienda.
Omnes blasphemiæ sunt contumelia aduersus Deum, Ergo
Omnes blasphemiæ sunt puniendæ.

Quomodo appellantur partes Syllogismi:

Prima propositio nominatur .Maior, Secunda minor, Hæ duæ propositiões simul nominãtur præmissæ, Tertia conclusio siue complexio. In præmißis

autem

autem continentur tres termini, quorum primus qui in prima tantum propositione ponitur uocatur Maior. Qui in secunda, Minor, Medius qui in utraq; ponitur, Hi ab Aristotele uocantur nomina simplicia. ut

Naturalia sunt licita & concessa.
Amare sobolem est res naturalis.
Ergo amare sobolem est licitum & concessum.

In hoc argumento Maior terminus est, esse licitum & concessum, Minor amare sobolem, Medius qui in utraq; propositione ponitur, ut res naturalis, Quia enim ex tribus terminis duæ propositiones sunt conficiendæ, necesse est ut medium bis ponatur, Et cum medium sit causa connectens prædicatum conclusionis cum subiecto, ideo in prima propositione coniungitur cum prædicato conclusionis. In altera uero accommodatur ad subiectum. Moior ut plurimum est thesis, Minor uero Hypothesin transfert ad Thesin.

Quare in syllogismo sunt tantum tres termini & non plures?

In propositione quæ probanda est, sunt duæ uoces præcipuæ, Subiectum uidelicet & prædicatum,

In

In argumento uero necesse est adhibere tertiam, quæ sit causa ostendens cur illa duo membra cohæreant. Si uero accedat quartus terminus, dißipatur illa connexio medij cum alijs terminis.

Cur ualet consequentia in syllogismo?

Quia quæ conueniunt alicui tertio illa inter se conueniunt. In syllogismo prædicatum & subiectum conclusionis conueniunt medio, Ergo illa duo quoq; inter se conueniunt & cohærent. Item causæ agentes necessario producunt effectum. Præmissæ sunt causæ agentes, Ergo necessario producunt effectum scilicet conclusionem.

Præceptum de inuentione medij.

Medium est aut genus, aut causa, aut effectus, aut pars definitionis, aut repugnans subiecti in conclusione.

Medium in prima figura est consequens minoris termini, & antecedens maioris.

In secunda est consequens, aut repugnans maioris termini.

In tertia medium est antecedens utriusq; termini. Consequens autem est uocabulum communius. Antecedens uocabulum angustius.

DE FIGVRIS SYLLOgismorum.

Tres sunt figuræ syllogismorum, quæ discernuntur diuersa dispositione medij in præmissis.

DE PRIMA FIGVRA.

Prima figura est in qua medium in maiore propositione est subiectum, in minore uero prædicatum. Et habet quatuor modos concludendi, qui *notantur his uocabulis,* Barbara, Cælarent, Darij, Ferio. In his quatuor, Vocales, A. E. I. O. *ostendunt quantitatem & qualitatem in propositionibus.*

A Notat uniuersalem affirmatiuam.
E Vniuersalem negatiuam.
I Particularem affirmatiuam,
O Particularem negatiuam.

Quales sunt syllogismi in *hac figura?*

In hac prima figura fiunt syllogismi, partim affirmatiui, partim negatiui.

Exempla cuiusque modi?

Bar *Omne uotum cum opinione impia factum est irritum & inane.*
ba *Omnia uota monastica continent opiniones impias & impios cultus.*

ra Ergo

ra Ergo uota monastica sunt irrita & inania, & perconsequens, nullo modo sunt damnandi illi qui ea retractant.

Aliud.

Bar Turbantia iustum ordinem humanæ societatis non sunt ferenda.
ba Latrocinia, furta, adulteria, &c. turbant humanam societatem.
ra Ergo non sunt ferenda.

Ce Nulla laceratio neruorum est opinio.
la Omnis cruciatus seu dolor corporis fit laceratione neruorum.
rent Ergo nullus cruciatus corporis est opinio.

Ce Nullum honestum est turpe
la Omnis uirtus est honesta.
rent Ergo nulla uirtus est turpis.

Da Omnis uim ui depellens iuste facit.
ri Milo uim ui depulit.
i Ergo iuste fecit.

Da Omnis ars requirit usum & exercitationē.
ri Eloquentia est ars.
i Ergo requirit usum & exercitationem.

Fe Nullū regnum scelere partum est diuturnū.
ri Philippi regnum est scelere partum.
o Ergo non erit diuturnum.

Nullus

Fe Nullus Magistratus est interficiendus.
ri Iulius Cæsar est Magistratus,
o Ergo non est interficiendus.

DE SECVNDA FIGVRA.

Secunda figura quæ est?

Secunda figura est, quando medium tum in maiore tum in minore est prædicatum. Hæc figura habet quatuor modos, qui his notantur uocabulis, Cæsare, Camestres, Festino, Baroco, & conuenit aduersatiuis sententijs, cum aliqua dißimilitudo duorum ostenditur, Itaq; omnes syllogismi sunt negatiui.

Exempla cuiusq; modi.

Cæs Nullus pius confidit diuitijs.
a Omnis auarus confidit diuitijs.
re. Ergo nullus auarus est pius.

Cæs Nullus lapis est animal.
a Omnis homo est animal.
re. Ergo nullus homo est lapis.

Ca Omnes pij audiunt Euangelium.
me Papistæ non audiunt Euangelium.
stres. Ergo Papistæ non sunt pij.

Ca Omnes uere conuersi ad Deum fugiunt idolatrias & immundiciem.
me Papiste non fugiunt idolatrias & immundiciem.
stres. Ergo non sunt conuersi ad Deum.

Fe Nulla eclipsis naturalis fit in oppositione.
sti Eclipsis, Christo in cruce pendente, facta est in oppositione.
no. Ergo non fuit naturalis.

Fe Nulla stella consumitur.
sti Cometa consumitur.
no. Ergo Cometa non est stella.

Ba Omnes qui sunt ex Deo, uerbum Dei audiunt,
ro Pharisæi uerbum Dei non audiunt,
co. Ergo non sunt ex Deo.

Ba Omnis idolatra est dignus pœnis
ro Daniel non est dignus pœnis.
co. Ergo Daniel non est idolatra.

DE TERTIA FIGVRA.

Quæ est dispositio tertiæ Figuræ?

Tertia figura est, quando medium est subiectum tam in maiore quam in minore. Hæc cottinet

ſex modos, darapti, felapton, diſamis, datiſi, bocardo, feriſon. In hac tertia figura omnes ſyllogiſmi fiunt particulares.

Exempla cuiuſq; modi.

Da Omnis homo eſt rationalis.
rap Omnis homo eſt animal,
ti. Ergo aliquod animal eſt rationale.

Fe Nulla uirtus eſt fugienda,
lap Omnis uirtus paratur labore,
ton. Ergo quidam labor non eſt fugiendus.

Di Notitiæ naturales oſtendunt uim ui depellendam eſſe.
ſa Notitiæ naturales ſunt ipſum ius diuinum,
mis. Ergo ius diuinum concedit uim ui depellendam eſſe.

Da Omnibus Magiſtratibus eſt obtẽperandum,
ti Quidam Magiſtratus iniqua præcipiunt,
ſi. Ergo aliquibus iniqua præcipientibus eſt obtemperandum.

Bo Quidam docti non ſunt boni,
car Omnes docti norunt ueritatem,
do. Ergo quidam qui norunt ueritatem non ſunt boni.

Nullum

Fe Nullum absinthium est grati saporis
ri Absinthium est salubre in febribus,
son. Ergo quædam salubria in febribus non sunt grati saporis.

REGULÆ OBSERVANDÆ in syllogismis.

REGULA PRIMA.

Ex puris particularibus nihil sequitur, ut
Potentia Dei nota est gentibus Roma: 1.
Christus est potentia Dei. 1. Corinth: 1.
Ergo Christus notus est gentibus.

Nego consequentiam quia ex puris particularibus nihil sequitur.

Nam in maiore loquitur de potentia infusa in hominum mentes statim in creatione nempe de potentia legali. In minore loquitur de potentia colligente Ecclesiam, quod defendit Israelitas in camino ignis.

Aliud.

Populi Dei sunt qui credunt in Christum,
Gentes credunt in Christum,
Ergo gentes sunt populus Dei.

Nego consequentiam, & ratio est, quia ex puris particularibus nihil sequitur, Nam minor

tantum est particularis, loquitur de aliquibus non de omnibus gentibus.

Aliud.

Vindicta est prohibita,
Bellum est uindicta.
Ergo bellum est prohibitum.

Nego consequentiam, & ratio est, quia ex puris particularibus nihil sequitur, Nam maior loquitur de specie, non de genere, uidelicet de uindicta priuata, non de uindicta publica qualis est bellum.

SECVNDA REGVLA.

Ex puris negatiuis nihil sequitur, ut
Nulla uirtus est uituperanda,
Nulla iniustitia est uirtus.
Ergo nulla iniustitia est uituperanda. Nego consequentiam, & ratio est, quia ex puris negatiuis non necessario sequitur bona consequentia.

TERTIA.

Conclusio sequitur partem præmissarum debiliorem & deteriorem. Igitur si altera præmissarum est particul... conclusionem etiam particularem esse necesse est, Aut si altera præmissarum est negatiua, & conclusio negatiua erit. Nam particularis

cularis est debilior uniuersali, & negatiua debilior affirmatiua Vt

Nulla inutilia sunt discenda,
Poëtæ quidam docent inutilia
Ergo nulli poetæ sunt legendi.

Nego consequentiam, & ratio est, quia conclusio debet sequi partem debiliorem, et cum minor sit particularis, debet & conclusio particularis sequi, Ergo poëtæ inutilia tradentes non sunt legendi.

QVARTA.

In syllogismo non sint plures termini quàm tres, neq; ambiguitas in uocabulis, quia ambiguitas parit quatuor terminos. Vt

Satisfactio non est necessaria uel est inutilis, quia remißio peccatorum donatur nobis gratis propter Christum.
Restitutio furti est satisfactio.
Ergo restitutio furti non est necessaria.

Nego consequentiam, & ratio est, quia habet quatuor terminos. Nam duplex est satisfactio, quædam ciuilis, quæ est opus debitum & necessarium, & ad contritionem pertinet. Quædam sunt canonicæ, de quibus papistæ loquuntur, has definiunt esse opera debita quibus redimendæ sunt pœnæ. Hæc non

est necessaria, & est opus non debitum, quia Christus inquit: Frustra colunt me mandatis hominum.

Aliud.

Iudex non absoluit sine cognitione,
In confeßione petitur & fit absolutio,
Ergo in confeßione necesse est fateri et recensere omnia peccata.

Nego consequentiam, & ratio est, quia sunt quatuor termini, In confeßione fit absolutio scilicet non ut in iudicio, sed ut in ministerio, quod non est mandatum cognoscendi, nec est iudicium, sed est tantum impertiendi beneficij & absolutionis.

Aliud.

Deus iustificat,
Deus est Dilectio,
Ergo dilectio iustificat.

Nego consequentiam, & ratio est, quia sunt quatuor termini. Respondeo ad maiorem, Deus iustificat, hæc propositio simpliciter est uera, Deinde ad minorem, Deus est dilectio, scilicet qua Deus nos diligit, non est nostra dilectio qua nos diligimus Deum. Ergo dilectio iustificat scilicet dilectio Dei non nostra, quia nostra non est tam firma qualem lex à nobis requirit, sed multo est imbecillior

quam quod legi satis facere potest. Nam lex non solum externum sed & internum hominem requirit & postulat.

QVINTA.

Medium non debet usurpari in conclusione, Nam medium est causa conuertens predicatum cum subiecto in conclusione, iuxta illud: Lex generalis erit medium concludere nescit. ut

Omnis homo est animal
Omne animal est substantia,
Ergo omne animal est substantia.

REGVLAE SPECIALES.

PRIMA.

Maior in prima & secunda figura perpetuo est uniuersalis, nunquam, potest esse particularis, Sed in tertia figura maior potest esse etiam particular is. ut.

Causæ connexæ habent necessarios euentus,
Omnes euentus fiunt & oriuntur á causis connexis,
Ergo omnia quæ fiunt, fiunt nacessario.

Maiorem sic declarant Stoici, In rebus naturalibus uidemus fieri euentus à causis connexis, fruges non generantur nisi terra fuerit madefacta, cœlum non agit nisi moueatur,

Ergo cœlum causam habet aliquam mouentem. Nego consequentiam, quia quando maior in prima figura est particularis, tunc nihil sequitur, Nam naturales causæ connexæ habent necessarios effectus, uoluntariæ uero non, sed agunt liberè & contingenter.

SECVNDA.

Minor in prima & tertia figura, semper est affirmatiua, nec unquam potest esse negatiua. Verum in secunda figura potest esse negatiua. quia syllogismi fiunt negatiui, ut

omne furtum est puniendum,
Cædes non est furtum,
Ergo cædes non est punienda.

Nego consequentiam, & ratio est, quia quando minor in prima figura est negatiua, tunc nihil sequitur, quia subiectum minoris non includitur in subiecto maioris, & nulla fit coniunctio seu subsumptio.


TERTIA.

In prima & secunda figura fiunt conclusiones uniuersales, In tertia uero nunquam uniuersales sed tantum particulares.

Quæ sunt demonstrationes figurarum?

Supra

Supra dictum est, primam esse figuram, ubi medius terminus sit in maiore subiectum, & in minore prædicatum. Secundam esse, ubi medius terminus tam in maiore quam in minore sit prædicatum. Tertiam uero ubi medius Terminus in maiore & minore sit subiectum, quod hac figura demonstrari potest, aut etiam literis.



Primæ figuræ demonstratio per literas.

α β
γ α
γ β
K ς

Secundæ figuræ demonstratio.

β α
γ α
γ β

Tertiæ Figuræ demonstratio.

α β
α γ
γ β

Per α semper significatur subiectum.

Per β prædicatum.

Per γ pars imbecillior, quæ & in conclusionem includitur.

DE SYLLOGISMO EXPOSITORIO.

Quid est Syllogismus expositorius?

Syllogismus expositorius est in quo medium est nomen indiuiduum, & in quo ex duabus propositionibus singularibus efficitur conclusio. Et habet dispositionem tertiæ figuræ. Huius usus est in exemplis tractandis & explicandis atq; in experientia.

Quotuplex est syllogismus expositoribus?

Duplex.

Duplex, Alius est affirmatiuus, alius negatiuus.

Affirmatiuus est qui ex duabus singularibus adfirmatiuis concludit particularem affirmatiuam, ut

David est lapsus,
Dauid fuit sanctus,
Ergo quidam sancti labuntur.

Aliud.

Dauid receptus est in gratiam,
Dauid fuit peccator,
Ergo peccatores recipiuntur in gratiam.

Sic Paulus argumentatur ad Roma: cap. 11. Vbi consolatur Israëlitas se non abiectos esse, sed & promißionem ad eos pertinere, cum inquit.

Ego sum Israëlita,
Ego adeptus sum promißionem,
Ergo Israëlitæ non sunt abiecti.

Negatiuus uero est, qui ex maiori singulari affirmatiua collegit particularem negatiuam. ut

Paulus non geßit bellum nec imperium tenuit,
Paulus fuit Apostolus,
Ergo Apostolis non licet gerere bellum aut tenere imperium. Et perconsequens, Nec nostris pastoribus & Theologis.

Quare.

Quare ualet consequentia *in syllogismo expositorio?*

Quia, quæ conueniunt alicui tertio, illa inter se coniuncta sunt. Et econtra, Quicquid remouetur ab aliquo tertio, remouetur & ab his, quæ illi coniuncta sunt. Vt:

Petrus non geßit imperium,
Petrus geßit claues à Christo traditas,
Ergo claues non significant imperium.

DE ENTHYMEMATE SE*cunda forma argumentationis.*

Quid est Enthymema?

Aristoteles primo ῥητορικῶν *definit Enthymema hunc in modum: Enthymema est imperfectus syllogismus* ἐκ εἰκότων καὶ σημείων, *hoc est, ex uerisimilibus & signis. Vocat autem* εἰκότα ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γινόμενα *id est, ea quæ ut plurimum euenire solent.* ἐνθύμημα *ab* ἐνθυμέομαι *Græco, hoc est, cogito dicitur, quasi cogitatum uel animo conceptum. Et hoc nomine alij aliter usi sunt. Aristoteles definiuit Enthymema esse syllogismum ex uerisimilibus constantem, adeo nulla alia re differt Enthymema à syllogismo quod genere materiæ constat.*

constat. Cicero uoluit nomine Enthymematis accipi genus argumentationis ductæ ex contrarijs, quale est illud. Non alienum fidum inueneris si tuis hostes fueris, cuius hæc sunt uerba: Ex hoc (inquit in Topicis) Rhetorum sunt ex contrarijs conclusa, quæ ipsi enthymemata appellant, non quod omnis non sententia proprie nomine enthymema dicatur, sed ut Homerus propter excellentiam commune Poetarum nomen suum efficit apud Græcos. Sic cum omnis sententia enthymema dicatur, quia uidetur ea quæ ex contrarijs conficiatur, acutissima sola proprie commune nomen possidet. Idem sentit Quintilianus lib. 7. institutionum oratoriarum cap. 5. cum inquit, Enthymema quoq; est omne quod mente concipitur: Sed proprie dicitur ea quæ est sententia ex contrarijs, propterea quod eminere uidetur inter cæteras, ut Homerus Poëta, & urbs Roma. Hinc idem lib. 5. cap. 14. Enthymema uocat oratorium syllogismum, uel partem syllogismi, propterea quod syllogismus utiq; propositionem & conclusionem habet, &c. Nostræ ætatis Dialectici uolunt enthymema esse syllogismum, cui altera propositionum, hoc est, maior uel minor deest, ut Omnis insidiator iure occiditur.

Ergo Clodius iure occisus est à Milone, quia ei malum & interitum machinabatur.

Quos

Quot partibus Enthy- mema constat?

Duabus, Prior uocatur antecedens, Altera uero consequens. Quintilianus uocat antecedens relationem, Consequens uero intentionem.

Quomodo potest cognosci utrum maior aut minor desit?

Quando antecedens est Thesis, hoc est, locus communis, tunc minor deest, ut omnis qui uim ui repellit iuste facit, Ergo Milo recte facit. Quando uero antecedens est hypothesis, tunc maior desideratur, ut

Christi regnum est spirituale,
Ergo non est mundanum.

Vel si eadem subiecta sunt in antecedente & consequente, tunc maior deest, Si diuersa sunt subiecta, minor.

Omittitur autem altera propositio aut propter breuitatem, aut quia notior sit quam quod necesse sit eam inculcare aut quia imbecillior est, ideo omittitur & quasi dissimulatur, ut

Fures sunt suspendendi,
Ergo Verres est suspendendus,
Hic minor deest.

Verres

Verres est fur.
Item Verres est fur.
Ergo Verres est suspendendus.
Hic maior deest.

Quomodo refutatur ac soluitur Enthymema uiciosum?

Aut antecedens reijcitur, aut consequentia repræhenditur, ut, Poetæ docent inutilia,
Ergo Poetæ non sunt legendi.
Hic antecedens falsum est.
Vinum inebriat,
Ergo uinum est malum.
Hic consequentia est uiciosa, Nam abusus non tollit rem, Vinum est res bona data hominibus magnarum utilitatum causa, quare nullo modo uinum est uituperandum propter abusum, quia est res creata à Deo.

DE INDVCTIONE TERTIA forma argumentandi.

Quid est inductio?

Inductio quæ Græcis ἐπάγογη est argumētatio in qua ex multis singularibus colligitur sententia uniuersalis

uniuersalis, uel, ut Aristoteles, Inductio est forma argumentationis, qua maior extremitas per minorem de medio tollitur. Hæc maximè naturæ est consentanea. Nam ratio uniuersalis propositiones colligit ex multis singularibus, ut multos uidimus uino calefieri, colligimus, uinum habere uim calefaciendi. Est autem inductio triplex, Alia est Dialectica qua à singularibus ad uniuersalia progredimur.

Vinum { Rhenense, Rheticum, Creticum, Maluaticum } calefacit

Nec reperitur contrarium,
Ergo omne uinum calefacit.

Additur autem hæc particula, nec reperitur contrarium exemplum, quia propositio uniuersalis non potest erui, nisi omnia exempla singularia consentiant: Itaq; inductio labefactatur cum opponitur exemplum dissimile, Vt

Augustinus fuit cœlebs
Athanasius fuit cœlebs,
Ergo omnes Episcopi fuerunt cœlibes.

Non ualet inductio, quia dissimilia exempla reperiuntur, ut Hilarius, Petrus fuerunt mariti, & in Cle-

in Clemente ſcribitur coniugem Petri eſſe interfe-ctam ob confeßionem.

Aliud.

Dionyſius habuit tragicum exitum,
Phalaris habuit tragicum exitum,
Alexander Phereus habuit tragicum exitum,
Pharao habuit tragicum exitum,
Nec Exemplum dißimile reperitur,
Ergo omnium Tyrannorum ſunt tragici exitus.

Alia eſt Rhetorica qua ex ſimilibus colligimus uniuerſale, ut

Si Magiſtratus & respub: gubernatur prudentia.

Si res œconomica regitur prudentia patris familias.

Si nauis gubernatur prudentia & conſilio Naucleri.

Si ſchola gubernatur prudentia ludimoderatoris.

Ergo omnia quæ in mundo ſunt reguntur prudentia & certo conſilio.

Alia Socratica quæ fit multis interrogationibus, quæ cum conceſſæ fuerint, mox aliud huic ſimile infertur de quo confertur.

Quot sunt partes inductionis?

Duæ sunt. Antecedens & consequens.

Antecedens est enumeratio multarum propositionum singularium. Consequens uero est generalis sententia siue conclusio.

Quid interest inter inductionem & syllogismum?

In syllogismo fit argumentatio ab uniuersalibus ad particularia,
In inductione à singularibus ad uniuersalia, uel
In syllogismo fit argumentatio à principijs,
In inductione ab experientia. Syllogismus est quasi quidam descensus. Inductio uero quasi quidam ascensus.

DE EXEMPLO QVARTA forma argumentationis.

Quid est Exemplum?

Exemplum primum significat rei gestæ uel ut gestæ commemoratio ad nostram causam accommodata propter similitudinem, & adhibetur tam probandi quam ornandi gratia, & si respicis rem ipsam erit in eo loco inuentionis quo allato aliquid proba-

probamus, Sin uero ad formam erit species argumentationis, qua particulare pronunciatum ex particulari probamus propter similitudinem, Seu in qua ex similibus colliguntur similia. Et ut Aristoteles definit, Exemplum est, cum extremum quod medio inest, per simile ostenditur de tertio, ut si Absalon suæ in obedientiæ pœnas dedit, Ergo & Iohannes qui in obediens est parentibus suis, non impune feret. Quapropter & Aristoteles hanc formam argumentationis uocat speciem comparationis, & ad locum similitudinis refert, Nam exempla ualent propter similitudinem quæ si infirmabitur, nec ipsa exempla constare poterunt. Idcirco exemplum propter regulam & non Regula propter exemplum ualet. Hinc Iurisconsultus ait, periculosum esse iudicare exemplis, quia nulla tanta est similitudo, quæ non ab homine callido, uersuto & ingenioso euerti poßit. Hoc loco & hoc dictum Iurisconsultorum obseruandum est. Quod contra rationem susceptum est, non producendum est ad consequentiam, & non quid factum, sed quid fieri oportuit spectandum est, ut Apostoli sua bona post ascensionem Christi (ut in Actis legitur) contulerunt & omnia habuerunt communia, Ergo κοινωνία instituenda est, nec tenere proprium licitum est.

Nota [illegible]

Cur ualet consequentia in Exemplo?

Exemplum ualet propter similitudinem, iuxta regulam, De similibus idem est iudicium, & quando accommodatur ad Regulam. Cum uero inest aliqua dißimilitudo aut pugnat cum Regula, tunc non ualet, quia non exemplis sed legibus iudicandum est, & error in facto non tollit ius, ut, In Mose sunt promißiones de certa politia, Ergo & nos Christiani habemus promißiones de certa sede.

Nego consequentiam, quia est dißimilitudo in exemplis. Iudæi habebant promißiones bonorum corporalium speciales, Euangelium habet generales

Aliud.

Abraham, Iacob, Dauid, fuerunt πολίγαμοι
Ergo πολιγαμία *est licita.*

Nego consequentiam & ratio est, quia argumentum non ualet contra Regulam, sed ualet ab Exemplo ad Regulam, Regula est, Erunt duo in carne una, hoc est, inseparabiliter iuncti.

Catilina pœnas dedit motæ seditionis.
Ergo & cæteri pœnas dabunt.

Aliud

Aliud.

Tota ferè tribus BenIamin extincta est propter stuprum.

Ergo scortatores & adulteros iudicabit Deus.

Valet consequentia, quia nulla est dißimilitudo, & exemplum refertur ad regulam, Scortatores & adulteros iudicabit Dominus.

Aliud.

Petrus occidit Ananiam uerbo,
Ergo & sacerdotibus licet occidere.

Concedo totum si possunt uerbo occidere & non gladio, quando uerbo occidunt, tunc Deus occidit illum hominem non sacerdotes, & Deus puniuit mendacium in Anania, quia est uerax & summo odio persequitur mendacium.

DE SORITE QVINTA forma argumentationis.

Sorites est forma argumentationis in qua coacervantur uoces plures necessario cohærentes, ut Genera, species, differentia, proprium, causæ, effectus, Vt

Homo est animal,
Animal est corpus uiuum,
Corpus uiuum est substantia,
Ergo homo est substantia.

Aliud.

Verbum Dei necesse est scire,
Verbum Dei nemo discere potest absq; literis,
Ergo literæ necessariæ sunt.

Aliud.

Tribulatio efficit pacientiam scilicet in credentibus,
Pacientia probationem,
Probatio spem.
Spes non confundit, hoc est, non est inanis,
Er go tribulatio non est inanis.

Vnde fit Sorites?

Sorites fit ex collectione generum & specierum, Item causarum & effectuum.

CAVTIO,

Non ualet Sorites in his quæ non necessario cohærent, ut
Ex malis moribus bonæ leges natæ sunt,
Bonæ leges prosunt,
Ergo mali mores prosunt.

Hic in prima propositione membra non cohærent necessario, Mali mores non sunt causa propria & principalis bonarum legum, sed sunt causa impulsiua.

Cur in Enthymemate ualet consequentia?

Quia potest reuocari ad syllogismum, uel quia potest ostendi per syllogismum, & cum in syllogismo firma sit consequentia, potest & in Enthymemate esse uera & bona consequentia.

Cur in inductione?

In inductione ualet consequentia propter sufficienttem partium enumerationem. Nam enumeratis singulis partibus sequitur uniuersale.

Cur in exemplo?

In exemplo ualet consequentia propter similitudinem, iuxta regulam : De similibus idem est iudicium.

Cur in Sorite?

Valet ex illa regula Aristotelis:

Quæcunq; de prædicato dicuntur, eadem & de subiecto dici possunt. Item, Quicquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, hoc sequitur & ad antecedens.

Quę sunt seruanda in Sorite?

Quicquid seruandum est in syllogismo, hoc idem seruatur & in hac forma argumentationis, quia est inuersus syllogismus. Nam necesse est secundam propositionē semper esse uniuersalem, aut

certe uniuersaliter ueram, hoc est, talem quæ salua ueritate poßit fieri uniuersalis. Quare obseruabitur, ut totum prædicatum primæ propositionis fiat subiectum secundæ, ob id non sequitur, ut.

Plato habet bouem,
Bos habet cornua.
Ergo Plato habet cornua.

Deinde obseruandum est, ne prima propositio sit negatiua, quia inde nihil sequeretur, ut

Nullus homo est asinus,
Asinus est animal,
Ergo nullus homo est animal.

Nego consequentiam & ratio est, quia est processus à non distributo ad distributum, hoc est, à particulari ad uniuersale. Nam prædicatum secundæ propositionis non distribuitur in antecedente, & tamen ipsum distribuitur in conclusione, quapropter medium debet accipi pro eodem, in relatione ad utrunq; externum, & cum hoc non fiat secundum uulgarem rationem, dicitur medium non distribui. Est autem medium illud tertium, quod quasi duo inter se colligat, & proposita uelut extrema duo coniungit, id si opinione solum atq; aspectu non reuera sit unum & idem, fallemur argumentatione. Idcirco accuratum & exactum iudicium

cium

cium & diligens cautio in his argumentationibus esse debet, ne istis captiosis argumentationibus & non recte iudicantes decipiamur, ut

Nullus cœlebs est maritus,
Omnis maritus habet uxorem.
Ergo omnis cœlebs habet uxorem.

Aliud.

Plato est Philosophus,
Philosophia est cognitio rerum diuinarum & humanarum,
Ergo Plato est cognitio.

Nego consequentiam & ratio est, quia prædicatum primæ propositionis non fit totum subiectum secundæ propositionis.

Nam in prima propositione prædicatum in concreto, subiectum uero secundæ propositionis in abstracto ponitur.

Quot modis ostenditur consequentia in enthymemate?

Duobus, Reductione & ductu obliquo.

Reductione, cum enthymema reducitur ad syllogismum & propositio dißimulate additur.

Ductu aliquo, cum ex contradicente consequentis colligitur absurdum, uel contra dicens antecedentis.

Christus surrexit,

Ergo est resurrectio mortuorum.

Valet consequentia, quia Christi resurrectio est propria causa nostræ resurrectionis.

Ostensio consequentiæ per ductum obliquum.

Si non est resurrectio mortuorum,

Ergo Christus non resurrexit.

Aliud Pauli.

Christus est factus uictima pro peccatis nostris.

Ergo homines non per legem liberantur à peccato.

Probatio consequentiæ per ductum obliquum.

Si ex lege est iustitia,

Ergo Christus frustra mortuus est.

Quotuplex est ductus argumentationis?

Duplex. Directus & obliquus.

Directus cum recta uia ex antecedente colligitur consequens.

Obliquus cum ex contradicente consequentis colligitur

colligitur absurdum. Hi ductus non sunt formæ argumentationis, sed sunt uiæ quædam colligendæ intentionis.

REGVLÆ.

Ex uero nihil nisi uerum sequitur.

Impoßibile est duas contradictorias simul esse ueras aut simul falsas.

DE SYLLOGISMO HYpothetico,

Quid est propositio hypothetica?

Propositio hypothetica est, quæ ex duabus categoricis contexitur coniunctione naturali, aut disiunctiua, aut copulatiua coniunctis. ut

Si per gratiam sumus iusti non sumus iusti propter opera. Hinc tres formæ Hypotheticarum propositionum existunt.

Conditionalis in qua copula est coniunctio rationalis, Si.

Disiunctiua in qua copula est disiunctiua coniunctio uidelicet, aut, uel.

Copulatiua in qua copula est coniunctio copulatiua, Et,

Quot sunt modi in conditionalibus?

Tres,

Tres. Primus, cum proceditur à tota conditionali cum positione antecedentis ad positionem consequentis, ut

Si licet pugnare pro patria,
Licet etiam pugnare pro relligione.
Sed licet pugnare pro patria,
Igitur licet & pro relligione pugnare.

Secundus modus, Cum à tota conditionali proceditur cum destructione consequentis ad destructionem antecedentis, ut

Si perfectus est orator Philosophiæ peritus est,
Sed non est Philosophiæ peritus.
Ergo non est perfectus orator.

Tertius modus, Cum in repugnantibus proceditur à positione antecedentis ad destructionem consequentis, aut contra, à destructione consequentis aut positionem antecedentis, Iuxta regulam: Cum in repugnantibus alterum affirmatur, alterum tollitur, Et econtra, Positis contrarijs per negationem, & altero assumpto, tollitur alterum, ut

Si dies est non potest esse nox,
Sed dies est,
Ergo non est nox.

Aliud.

Si iustitia est ex gatia, non est ex merito,

Sed

Sed ex gratia iusti sumus,
Ergo non ex merito.

DE DISIVNCTIVIS.

In disiunctiuis duo modi sunt concludendi.

Primus, cum in re pugnantibus posito uno tollitur alterum, ut, Aut opera aut fides iustificat.
Sed fedes iustificat,
Ergo non opera.

Secundus modus, cum à destructione unius proceditur ad destructionem alterius, ut
Aut dies aut nox est,
Sed nox non est,
Ergo dies est.

REGVLA.

Disiunctiua ponit unam partem, ut tollat alteram, Et econtra.

DE COPVLATIVIS.

Itidem duo sunt modi in copulatiuis.

Primus, ut non & ambitiosus & relligionis studiosus esse potest.
Est autem ambitiosus,
Ergo relligionis studiosus esse non potest.

Secundus, Non autem hoc & illud,
Non autem hoc,
Ergo illud.

LIBER QVARTVS.

DE TOPICA.

DOctrina de locis quam Topicam appellant Dialectici, communis est utriq; arti & Dialecticæ & Rhetoricæ. Nam loci tam disputandi quam dicendi de qualibet re proposita materiam & argumenta indicant & ostendunt, quare summa cum diligentia est obseruanda & perdiscenda.

Quid est Topica?

Duæ sunt Dialectices partes (sicut supra lib. primo est ostensum) Altera inueniendi quæ τοπικὴ, altera iudicandi quæ κριτικὴ uocatur, quarum illa natura prior est, nam de rebus nondum inuentis iudicium haud potest fieri. Est autem TOPICA ars quæ docet rationem inueniendi, & excogitandi argumenta ad probandam propositionem idonea. Hæc nomen habet à locis, quia illis tanquam notis seu iudicibus in ostendendis argumentis utitur. Est enim LOCVS (authore Cicerone) sedes argumentorum, h. quemadmodum Rodolphus explicat: Locus est communis quædam rei nota, cuius ad nutu, quid in quaq; re probabile sit, potest inueniri: Hac definitione

ione ostendit Rodolphus, Locos nihil aliud esse quam iudices, notas seu signa, quorum admonitu per ipsas res animum circumferimus, id est, diligenter consideramus propositionis subiectum & praedicatum, & quid sit in unoquoq; probabile aptumq; institutae nostrae orationis perspicimus. Argumentum autem (ut Cicero definit) rationi dubiae faciens finem, hoc est, Argumentum est tertius ille seu medius terminus, qui collatus per argumentationem cum subiecto & praedicato propositionis ostendit, utrum haec duo inter se consentiant, quod fit in affirmatiuis propositionibus. An uero inuicem dissentiant & discordent non in negatiuis accidit.

Quomodo ex locis erigenda sunt argumenta?

In omni propositione duo sunt membra praecipua, subiectum & praedicatum. Vtrumq; membrum separatim est considerandum, atq; ex eius natura argumenta & probationes erigendae sunt ut in hac propositione, Fide iustificamur:

Fides est subiectum, Iustificari praedicatum,

Ex utriusq; membri natura argumenta sumi possunt ad confirmandam quaestionem, ut à defi-

definitione fidei, ut Fiducia misericordiæ propter Christum sumus iusti,

Fides est fiducia misericordiæ,
Ergo fide sumus iusti.

Item à prædicato, nempe à definitione iustificationis.

Iustificatio est remißio peccatorum,
Remißio peccatorum non est opus nostrum.
Ergo non propter nostrum opus iusti sumus, sed fide.

Quotuplices sunt loci?

Duplices, Personarum & rerum.

Quia membra quæ ponuntur in propositione aut sunt personæ aut rei. Rerum proprie pertinent ad Dialecticam: Personarum sunt propriè loci Rhetorices. Hæc à Cicerone attributa uocantur.

Qui sunt loci Personarum?

Patria,	Res gestæ,
Parentes,	Vitæ genus,
Educatio & disciplina,	Mors,
Ætas,	Opinio secuta post mortem.
Sexus,	
Indoles seu ingenium,	
Mores.	

Loci personarum qualia pariunt argumenta?

Probabilia argumenta plerunq; fiunt ex his locis, Ideo in negotijs Rhetorices crebrius usurpantur.

A PATRIA.

Loci natura & aëris temperies uim aliquam habent ad efficienda corporis temperamenta. Et animi mores temperamentum corporis sequuntur. Deinde leges, institutio & consuetudo, quædam sunt causa morum Quare Quintilianus lib. 5. cap. 10. inquit, Sui cuiq; genti & nationi mores sunt, nec idem in Barbaro, Græco, Romano probabile est. Et Paulus ad Titum, Cretenses sunt, Ergo uani. Huc spectat & dictum Epimenidis κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι κακὰ θηρία γασέρες ἄγροι, *hoc est, Cretenses semper uani usq; malæ feræ & uentres inertes. Vt Cicero argumentatur pro Flacco, Testes sunt Græci, Ergo sunt leues, Germanus est, igitur integer est,*

A PARENTIBVS.

De natis iudicatur ex natura & moribus parentum, & ideo argumentum ualet, quia interdum dotes ingeniorum & etiam morbi certi propagantur, unde pindarus, φυᾷ τὸ γενναῖον ἐπιπρέ-

πει καὶ πατέρων παισὶν λῆμα. Et Horatius: Fortes creantur fortibus & bonis, &c. Et Germanicum prouerbium, Der apffel felt nicht weit uom stamme. Inde Cicero sumit argumentum quo filium hortatur ad honesta studia, Sustines enim expectationem non paruam imitandi industriam nostram .Ex hoc loco tale argumentum sumitur: Hic est bonis parentibus & synceris natus, Ergo non cadit in eum tale facinus. Etsi autem ut plurimum nati referunt & imitantur parentum naturam, mores & figuram etiam corporis propter naturam seminis: Tamen interdum omnino sunt dissimiles, iuxta illud. Heroum filij noxæ, sed hoc fit propter aliud, quia aliquando gignunt ebrij, interdum in infaustis coniunctionibus planetarum, aut quia non seruatur honesta disciplina.

A SEXV.

Quia alia uiris, alia fœminis conueniunt, Sic 2. Aeneidos de Helena. Nullum memorabile nomen.

Fœmina in pœna est nec habet uictoriæ laudem.

Et ut Germani: Es wird an einem weibe niemand zum Ritter.

Sic apud Liuium Cato. Mulier impotentis

naturæ & indomitum animal est, Ergo non est ni-
mium uxoribus indulgendum.

AB ÆTATE.

Quando deprecamur aut supplicamus pro ali-
quo argumentamur ab ætate, ut Plinius, Filius
tuus puer est, Ergo non est acerbius & durius tra-
ctandus. Plautus. Excessit mihi ætas è magistro
tuo, Ergo ne sis mihi castigator.

AB EDVCATIONE.

Educatio complectitur studia, consuetudinem,
sodalicia & disciplinam, quæ omnia sunt causa
morum, ut Cato uersatus est in Stoica disciplina,
Ergo factus est asperior. Nam non parum refert
apud quos uiximus, & quibus artibus & moribus,
cuiusq; arbitrio quisq; sit institutus, quia nihil est
potentius & efficatius ad excolendos aut corrum-
pendos animos ipsa educatione, disciplina & soda-
licio, Iuxta illud, Malus Magister efficit discipulum
malum. Item, Noscitur, ex socijs qui non est co-
gnitus ex se. Et Euripides: ὅτι τοιοῦτος ἐςὶν ἕκα-
ϛος ὅσπερ ἥδεται ξυνών. Quare Philippus Mace-
donum rex filius Alexandrum à prima statim pue-
ritia Aristoteli Philosophiæ decretis imbuendum
tradidit, Sic argumentatur Demosthenes: Aeschi-
nes est familiaris Philocrati homini egregiè δωρο-
δόκῳ, Ergo Aeschines est δωροδόκος.

Epaminundas institutus est in schola Isocratis.
Ergo euasit bonus princeps.

Hunc locum Cicero nominat à uictu, in quo iubet hæc considerare, apud quos, quo more & disciplina sit aliquis educatus, quibus amicis & sodalibus utatur, quomodo rem familiarem administret, qua domestica consuetudine, in quo quæstu & artificio occupatus sit.

AB INGENIO SEV indole.

Indoles nominatur insita seu innata ingenij uis, quare ea discrimina sumuntur ab indole quæ naturæ insunt, quæ dissident ab educatione, consuetudine, doctrina &c. Et laudatur bona indoles & ingenium si illud accommodat bonis artibus & uirtuti. Econtra uero uituperatur si ad malas artes & fraudem. Valet autem argumentum ab indole, quia inclinationes naturales sunt causæ actionum, iuxta illud, Naturæ sequitur semina quisq; suæ. Item Tu nihil inuita dices faciesue Minerua.

A MORIBVS.

Praui mores sunt indicium malæ mentis, & econera, suaues & mites sunt significatio bonæ indolis & bonæ mentis, iuxta illud Ciceronis in Epistola: Qui semel fines uerecũdiæ transierit, eum

bene & grauiter oportet esse impudentem, Et regula Iurisconsultorum: Qui semel malus, semper præsumitur esse malus in eodem genere delicti. Sic argumentatur Cicero: Clodius semper contempsit leges: Ergo uerisimile est Clodium struxisse insidias Miloni. Idem pro Sylla: In moribus Syllæ nulla est significatio crudelitatis, nulla significatio flagiciosarum cupiditatum, Ergo non apparet uerisimile Syllam conspirasse contra patriam. Hannibal est perfidus, Ergo non stabit promißis, non seruabit pacta.

A REBVS GESTIS.

Res gestæ sunt testimonia uirtutis, & sunt tanquam exempla, ex quibus colliguntur quæ sint de illo speranda, & ad quæ sit idoneus, ut Cicero argumentatur ex gestis Pompei, & adfirmat Pompeium esse idoneum ducem ad bellum Mitridaticum.

A VITÆ GENERE.

Genus uitæ profeßio seu officia præbent argumenta in deliberationibus, adhortationibus, laudatione & uituperatione, ut

Concionator est.

Ergo uerbo debet cohercere delicta, non ui corporali.

Scholasticus est, Ergo debet diligentiam adhibere in discendo.

A MORTE.

Exitus acta probant.

Multa iudicari solent ab exitu. Nam cum Deus tegat bonos & puniat impios, iudicium hic fieri solet de uoluntatibus hominum. Ergo in bonis principibus magna laus est genus mortis, ut in Dauide, Augusto etc. In Tyrannis uero tragicus exitus magnam authoritatem uituperandi adfert, Vt in Nerone, Iuliano apostata, Herode, Nam in utrisq; spectatur iudicium Dei, hi diuinitus puniuntur, illi à Deo seruantur. Etsi interdum in hac uita fit contrarium, nempe quod aliqui Tyranni placidos habeant exitus, & contra pij interficiuntur, ut Petrus, Paulus interficiuntur à cloaca Nerone: Tamen non est minima laus fortiter ferre mortem propter ueritatem & Christi confeßionem, & certum est testimonium aliam restare uitam, in qua pij ab impijs & malis segregabuntur.

Papinianus Iureconsultus maluit oportere mortem, quam patratum parricidium defendere, Ergo fuit uerus Iurisconsultus & amator iustitiæ.

AB OPINIONE POST mortem.

Post

Post mortem iuditia & liberiora & notiora esse solent, iuxta illud : Iudicium melius posteritatis erit, Ideo considerandum etiam est magnis uiris, quæ iudicia mortem sint secuta, ut

Pascitur in uiuis liuor, post fata quiescit,
Tunc suus ex merito quenq; tuetur honor.

Item.

Scripta placent à morte ferè, quia lædere uiuos
Liuor, & iniusto carpere dente solet.

DE LOCIS RERVM.

Loci (ut dictum est) sunt argumentorum iudices, Ideoq; pro argumentorum ratione & uarietate diuisiones accipiuntur & appellationes. Primum enim alia argumenta ipsis rebus seu ipsi substantia rei insunt, ut homini inest quod sit animal rationale. Alia sunt extra substantiam rei, ut extra substantiam hominis est ipsius pater aut mater. Vocatur autem hoc loco substantia, non tantum res existens per se & sustinens accidentia, sed transfertur etiam substantiæ appellatio in ipsa accidẽtia, quorũ natura appellatur substantia. Hinc itaq; loci diuisionem accipiunt, ut alij sint externi, qui demonstrant argumenta, quæ rebus ipsis insunt.

Alij externi, qui demonstrant argumenta quæ sun extra substantiam: Atq; utriq; alias diuisiones reci piunt sicut in figura subiecta patet. ***

Quæ requiruntur ad inuentionem & tractationem argumentorum?

Non satis est tenere dispositionem locorum, sed requiritur etiam cognitio rerum & doctrina copiosa. Huius & Quintilianus admonet lib. 5. in capite de argumentis, cuius uerba hæc sunt: Debet etiam nota esse rectè argumenta tractaturo uis & natura rerum omnium, & quid quæq; earum plerunq; efficiat.

REGVLAE EX LOCIS inuentionis.

DE DEFINITIONE.

Quare definitio primum locum obtinet?

Quia à definitione ducuntur argumenta necessaria & firma.

Argumentamur autem à definitione tum affirmatiue tum negatiue, eodem modo & à definito

quia

quia definitio & definitum mutuo se statuunt & euertunt, ut, Affirmatiuè.

Populus Dei sunt qui credunt in Christum,
Gentes credunt in Christum,
Ergo gentes sunt populus Dei.

In hoc argumento definitio est, credere in Christum, definitum est, populus Dei, & quia gentibus conuenit definitio, iisdem & definitum conuenit, iuxta maximam, Cui definitio eidem conuenit & definitum.

Aliud.

Fiducia misericordiæ Dei sumus iusti,
Fides est fiducia misericordiæ diuinæ promissæ propter Christum,
Ergo fide sumus iusti.

Aliud à definitione prædicati.

Acceptio seu imputatio iustitiæ gratuita est iustitia,
Fides accipit seu applicat acceptationem Dei gratuitam.
Ergo fide contingit nobis iustitia.

Negatiue.

Maxima.

Cui definitio, eidem & definitum adimitur, ut

Pharisæi non credunt in Christum,

Ergo non sunt populus Dei.

Aliud.

Deus est mens æterna conditrix & conseruatrix omnium rerum bonarum.

Peccatum non est res bona,

Ergo Deus non est causa peccati.

Vel.

Peccatum est defectus, uel inclinatio, uel actio pugnans cum lege Dei,

Ergo Deus non est causa peccati.

A definito ad definitionem.

Affirmatiuè, Maxima.

Cui definitum, eidem & definitio conuenit, Vt

Quidam Iudæi sunt filij Abrahæ,

Ergo credunt promißioni de Mediatore Christo.

Nam definitio filiorum Dei est, credere promißioni de Christo liberatore.

Negatiuè.

Cui definitum, eidem & definitio adimitur, ut

Simia non est homo,

Ergo

Ergo non est animal rationale. Nam animal rationale est definitio hominis, Simiæ adimitur definitum nempe homo, Ergo & definitio adimitur scilicet animal rationale.

OBSERVATIONES.

A falsa definitione non ualet consequentia.

Primo. Cum plus est in definitione quam in definito non ualet consequentia, ut, Philosophia est cognitio rerum diuinarum & humanarum, Ergo non erat opus reuelatione Euangelij.

Secundo. Cum plus est in definito quam in definitione, ut

Fides est notitia Historiæ,
Notitia historiæ non iustificat,
Ergo fides non iustificat.

Nego consequentiam & ratio est, quia non est perfecta fidei definitio. Nam fides non tantum est notitia Historiæ, sed est fiducia promissæ misericordiæ propter Christum gratis.

Tertio. Cum definitio est neq; genus, neq; differentia, neq; proprium, neq; accidens ad definitum, Vt.

Eloquentia est fucus accersitus,
Ergo non decet Philosophum neq; Theologum.

Nego consequentiam, & ratio est, quia

non est uera definitio, Nam eloquentia est orationis cultus, seu est facultas sapienter & ornata dicendi.

Quæ sunt partes definitionis?

Partes definitionis sunt species, genus, differentia, proprium.

DE GENERE.

Negatiue tantum argumentamur à genere ad speciem, nisi genere sit additum uniuersale signum. Nam genus potest existere non omnibus speciebus existentibus, ut in Germania possunt esse animalia, etiamsi non habet leopardos, elephantes, &c. Vt, Non est arbor, Ergo non est quercus. Non est animal, Ergo nec homo, iuxta Maximam: Cui genus, eidem & species adimitur.

A genere ad speciem argumentamur affirmatiue quando additum fuerit uniuersale signum, iuxta Maximam.

A superiori uniuersali ad inferius particulare ualet consequentia affirmatiuè & negatiue, ut

Vindicta publica est licita, Ergo & bellum est licitum.

Alia Maxima.

Posito

Posito genere cum particula uniuersali ponitur & species, ut, Omnes artes nouit, Ergo & Rhetoricam,

Cautio.

Cum nomen generale pro certa specie usurpatur & non pro toto genere, non ualt econsequentia. Iuxta regulam: Generi derogatur per speciem. Vt

Vindicta est prohibita,
Bellum est uindicta,
Ergo bellum est prohibitum.

Hic uindicta nomen generale pro certa specie, uidelicet pro uindicta priuata usurpatur in maiore, non pro toto genere, Ergo est uitiosa consequentia, iuxta regulam, Generi derogatur per speciem.

A SPECIE.

A specie ad genus argumentamur tantum affirmatiue, Nam species absq; genere consistere nequit, Sed genus absq; specie existere potest, Vt, Est quercus, Ego & arbor, Sed non econ[...], Est arbor, Ergo est quercus, quia posset esse aut salix, aut populus, &c.

Nota.

In argumentatione à specie ad genus, genus usurpatur particulariter non uniuersaliter.

Maxima:

Maxima.

Cui species, eidem & genus tribuitur, ut pueri habent peccatum originis, Ergo habent peccatum.

Negatiue non ualet: ut pueri non habent peccatum actuale. Ergo non habent peccatum.

A specie etiam argumentamur negatiue particulariter, non uniuersaliter, quia species genere comprehenditur, ut Amor erga liberos non est opinione accersitus, sed diuinitus naturæ insitus. Ergo non omnes affectus sunt opinione accersiti.

DE DIFFERENTIA & proprio.

Vnum facimus locum proprij & differentiæ, quia quod ad argumentationis modum attinet nihil differunt.

A differentia ad speciem, & econtra à specie ad differentiam, tum negatiue tum affirmatiue argumentamur.

Maxima.

Propria differentia semper cum specie confertur. uel

Posita differentia propria ponitur & eius species, & econtra.

Cui

Cui species attribuitur, ei quoq; differentia attribuitur. ut

Animal est rationale, Ergo est homo, Et econtra, Est homo, Ergo est animal rationale.

Negatiue. Maxima.

Cui adimitur differentia propria, ei & species adimitur, & econtra. Itaq; ex hoc loco sumuntur quatuor modi argumentandi.

Primus. A differentia ad speciem affirmatiue, ut Habet mentem, ergo est homo.

Secundus. A differentia ad speciem negatiue, ut Non habet mentem, Ergo non est homo.

Tertius. A specie ad differentiam propriam affirmatiue, ut Homo est, Ergo habet mentem.

Quartus. A specie æd differentiam negatiue, ut Non est homo, Ergo non habet mentem.

Hic locus est cognatus definitioni, quia propria differentia cum genere constituit definitionem, & causa remota remouetur & differentia.

Cautio.

A differentia grnerali non ualet consequentia affirmatiue, ut Bipes est, Ergo est homo. Est autem generalis differentia proprium in secundo modo.

A proprio

A PROPRIO.

A proprio eodem modo argumentamur ſicut à differentia.

Maxima.

Proprium cum ſua ſpecie conuertitur, ut Homo eſt, Ergo ad uirtutem aſſuefieri poteſt. Econtra, Non poteſt ad uirtutem aſſuefieri, Ergo non eſt Homo, Nam aſſuefactio ad uirtutem propriè eſt hominis, iuxta illud oPëtæ, Nemo adeo ferus eſt qui non miteſcere poßit, Si modo culturæ patientem accommodat aurem.

Sic à ſpecie ad proprium fit argumentatio, ut, Omnipotentia ſoli Deo tribuenda eſt, Ergo ſolus Deus eſt inuocandus, Nam inuocatio tribuit Deo omnipotentiam, & tribuere omnipotentiam eſt proprium inuocationis. Quare ſancti non ſunt adorandi aut inuocandi, quia omnipotentia illis tribui non debet, iuxta illud, Honorem meum non do alteri.

Hoc loco obſeruandum eſt, ſicut ſupra eſt oſtenſum, proprium quatuor modis dici. Primo conuenit ſoli ſpeciei, ſed non omnibus indiuiduis, ut homini eſſe medicum. Secundo quod omni & ſemper, etſi non ſoli ſpeciei, ut homini conuenit, eſſe bipedem. Tertio quod omni & ſoli conuenit, ſed non ſemper, ut homini caneſcere in ſenectute. Quarto

quod

uod omni, soli & semper conuenit, ut ridere, lo- ui. Huius loci maxima est, proprium cum sua pecie conuertitur, quæ de hoc quarto modo pro- rij intelligenda est, & nullo modo de prioribus ribus modis, de quibus aliæ traduntur regulæ.

Prima cautio.

Argumentatio à proprio primo modo non alet negatiue, quia proprium soli quidem conue- it, sed non omni, Vt non est medicus, Ergo non est omo. Sed affirmatiue ualet, ut est medicus, Ergo st homo.

Secunda.

A proprio secundo modo non ualet affirmati- te, ut Cometa lucet, ergo est Stella. Verum ne- gatiue ualet, ut, Non lucet, Ergo non est stella, uia lucere proprium est stellæ, quæ sic definitur, uod sit moles lucida.

Tertia.

A proprio tertio modo de præsenti argumen- ari non licet negatiue, ut Petrus non est canis, rgo non est homo. Sed affirmatiue ualet, ut Petrus est canis, ergo est homo. Sic etiam non ualet ar- gumentatio à proprio tertio modo de figura nega- tiue, ut Iohannes non erit canis, ergo non est homo.

AB ETYMOLOGIA.

Etymologia nihil aliud est quam nominis interpretatio. Hanc Cicero in Topicis uocat locum à notatione, quia uocabula sunt nota rerum. Ab Etymologia argumentamur affirmatiue, non autem negatiue.

Maxima.

Cui conuenit nomen eidem, & interpretatio eius conuenit. ut Esai. 7. Christus uocatur Emanuel, hoc est, nobiscum Deus, Ergo uere adest Ecclesiæ, conseruat, & defendit eam contra Diabolum & tyrannos, iuxta illud: Ero uobiscum usq; ad consumationem seculi.

Huc pertinent & Metaphoræ & aliæ figuræ, ut, Christus uocatur agnus Dei, ergo erit uictima.

DE CONIVGATIS.

Coniugata sunt uoces cognatæ quæ in principali significatione conueniunt, aut ab uno uerbo descendentes sola inflectione differunt, uel sunt illarum uocum periphrases, aut aliæ æquipollentes, ut iustitia, iustus, iuste. Vel coniugata sunt (secundum Ciceronem) quæ sunt ex uerbis generis eiusdem. Eiusdem autem generis uerba sunt, quæ orta ab uno uarie commutantur, ut sapiens, sapienter, sapientia. Sunt autem triplicia coniugata, Alia significatione

& uoce,

& uoce, ut sapientia, sapienter, sapiens, sapere. Alia significatione tantum, ut quæ non uocis sed significationis similitudine sunt coniugata, nempe uirtus & probitas. Alia uoce tantum quæ inflectione quidem sunt coniugata, qualia sunt adiectiua in sus, quæ significatione latius patent quam abstracta, ut studium, studiosus, & alia quædam, ut somnius, somnolentus. Etsi autem usus huius loci non admodum creber est, tamen eam habet utilitatem, ut altera uox alteram applicet.

Maxima.

Quod uni coniugatorum, hoc & alteri conuenit.

Item,

Coniugata de conuersim dicuntur.

Item.

Coniugatorum, in eo quod sunt coniugata, eadem est natura.

Quæ quidem regulæ ad priores duas species coniugatorum tantum pertinent. Itaq; ex his duabus claßibus argumenta ducuntur affirmatiua & negatiua conuersim, ut, Iustus est bonus, Ergo iustitia est bona. Et conuersim, Iustitia bona est, Ergo iustus bonus est. Intemperantia non est bona, Ergo intemperanter uiuere non est bonum, & econtra.

PRIMA CAVTIO.

In propositionibus prædicatum oportet subiecto conuenire per se & non per accidens, ut non ualet, Lac album est et dulce, Ergo lactis albedo est dulcedo. Quia dulce de albo per accidens prædicatur, id est, propter aliud, uidelicet propter subiectum Lac,

Secunda.

In propositionibus oportet conferre coniugata tantum secundum significationem, aut secundum uocem & significationem simul. Nam à coniugatis secundum uocem tantum non est bona argumentatio secundum maximas traditas. Non enim sequitur, Dormit, Ergo est somnolentus. Item Somnolentus uiciosus est, Ergo somnus uiciosus est. Nam latius patent concreta, nec sibi secundum principalem significationem inuicem respondent. Studio respondet studere, Aßiduo studio respondet studiosum esse.

Exemplum primæ speciei affirmatiuum.

Iustus ex fide uiuit, ergo iustitia fide contingit.

Coniuges Deus coniungit, ergo coniugium est diuina coniunctio.

Exemplum negatiuum,

Mors piorum non est misera, iuxta Psalmum, Precio-

præciosa in conspectu domini mors sanctorum eius,
Ergo pij mortui non sunt miseri.

Exemplum, secundæ speciei.

Credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad iustitiam.

Ergo fide imputatur iustitia.

Psalm. 31. Beatus cui non imputauit dominus peccatum.

Ergo iustitia est remißio peccatorum.

Hæc argumentationis ratio locum habet in prædicatione usitata & regulari, non ualet in metaphoricis prædicationibus, ut.

Homo homini Deus, ergo humanitas est diuinitas.

Neq; locum habet hæc argumentationis ratio in prædicationibus synechdochicis, ut Spiritus sanctus apparuit in specie Columbæ,

Ergo Spiritus sanctus est columba.

Neq; in prædicationibus inusitatis ualet, quæ de unione duarum in Christo naturarum, seu de communicatione idiomatum loquuntur, ut Deus est passus, ergo diuinitas est passa.

Item. Deus homo factus est, ergo diuinitas est humanitas facta.

A TOTO ET PARtibus.

Totum est quod ex partibus constat. Partes sunt quæ constituunt totum seu in quas totum diuiditur. Porro totum & partes hoc modo à genere & speciebus differunt, quod genus prædicatur de singulis speciebus, seu genus ad singularium specierum substantiam constituendam, aut definitionem adesse oportet. Totum uero non prædicatur de singulis partibus, neq; ad singularium partium substantiam seu definitionem constituendam, totum adesse oportet. Vt de prudentia dicitur quod sit uirtus, item de iustitia, fortitudine, temperantia, & posita ex his una ponitur uirtus. Item in singularium definitione necessario fit mentio uirtutis tanquam generis. At de capite non dicitur quod sit homo, sic nec de pectore, pedibus aut reliquis partibus. Neq; posita una parte ponitur totum nempe homo, neq; in singularium partium definitione homo loco generis ponitur. Huius autem loci sunt multi gradus, Sed necessaria diuisio hæc est, Aliæ sunt partes substantiales, quæ substantiam rei constituunt, & sine quibus totum consistere nequit, ut sunt materia & forma, in homine corpus & anima. Aliæ sunt integrales, quæ integritatem rei absoluunt, atq; hæ sunt

sunt duplices: Aliæ enim sunt necessariæ seu principales sine quibus totum consistere non potest, ut homo non potest consistere sine capite aut pectore. Aliæ sunt non necessariæ seu minus principales sine quibus totum existere potest, ut homo potest consistere amisso oculo, pede, manu &c.

A toto principali affirmatiue tantum argumentamur.

Maxima.

Posito toto principali, ponuntur & eius partes sine quibus totum consistere nequit. Ut homo est, ergo habet caput, pedes, &c.

Lex est licita, Ergo Magistratus est licitus.

Negatiue non ualet, ut non est homo, ergo nec caput nec uenter.

A partibus integralibus siue principalibus negatiue tantum.

Maxima.

Destructa parte principali sine qua totum consistere nequit, destruitur & totum, ut, Non habet caput, uentrem &c, Ergo non est homo.

A partibus minus principalibus non ualet consequentia, ut Non habet manus, Ergo non est homo. A parte minus principali ualet etiam cum ad totum proceditur, ut Is non habet utrasq; manus, ergo non est integer homo.

A toto homogenæo affirmatiue & negatiue argumentamur.

Maxima.

Cui conuenit totum homogenæum, ei & quælibet eius pars conuenit, ut

Totus aër sursum fertur, ergo & eius pars. Et

Cui adimitur totum homogenæum, ei & quælibet eius pars adimitur, ut

Tota aqua non fertur sursum, ergo nec pars.

A parte homogenæa affirmatiue & negatiue argumentamur.

Maxima.

Quicquid conuenit parti homogeneæ, hoc & toti conuenit, ut Partes aquæ sunt rotundæ, ergo tota aqua, quia partes imitantur naturam totius. Et

Quicquid adimitur parti homogeneæ, hoc & toti adimitur, ut pars aquæ non est plana, ergo neq; tota aqua.

A toto heterogeneo affirmatiue *tantum.*

Maxima.

Cui triruitur heterogeneum totum ei & partes tribuuntur, ut

Homo

Homo est, ergo habet carnem, sanguinem, ossa &c.

Et eadem est ratio argumentandi ab heterogeneo quæ à toto integrali, & econtra.

A partibus heterogeneis affirmatiue tantum.

Maxima.

Cui adimuntur partes heterogeneæ ei & totum adimitur, ut Spiritus non habet ossa nec carnem, ergo Christus non est Spiritus.

TOTVM in quantitate est numerale sumptum uniuersaliter, & ab hoc loco argumentamur affirmatiue & negatiue.

Maxima.

Cui tribuitur totum in quantitate ei & quælibet eius pars tribuitur, ut omne argentum legatum est, ergo & numerata pecunia legata est.

Et Quicquid remouetur à toto in quantitate, remouetur etiam à qualibet eius parte, ut coram te non iustificabitur omnis uiuens, Ergo nec Dauid est iustus propria dignitate. Hic iustificatio remouetur à toto genere humano, ergo etiam à qualibet eius parte ut Dauide.

A partibus in quantitate simul sumptis, siue à sufficiente enumeratione partium argumentamur affirmatiue & negatiue.

Maxima.

A sufficiente enumeratione ualet consequentia ut Adam, Abel, Zed, Nohe, Dauid & reliqui sancti omnes sustinuerunt afflictiones in hac uita, ergo omnes in hac uita affliguntur. Item, Euangelium non tollit coniugium, nec iuditia, pœnas, nec rerum distinctionem & distinctionem dominiorum, nec reliquas ordinationes politicas, ergo Euangelium nullas ordinationes politicas tollit.

A toto in modo uel à qualitate seu ab est secundi adiecti ad est tertij adiecti argumentamur tantum negatiue. Est autem tertij adiecti propositio in qua adiungitur uerbo substantiuo adiectiuum seu nomen in genere. Verum, Est secundi adiecti uocatur propositio in qua uerbum substantiuum solum ponitur loco prædicati. Maxima. Toto in modo non posito, nec eius pars ponitur. ut Non est purgatorium, ergo nec purgat à peccatis. Non est Philosophus. ergo nec doctus Philosophus.

A parte in modo affirmatiue tantum. Maxima.

A parte in modo siue ab accidente ad substantiam affirmatiue ualet consequentia, ut Paries est albus, Ergo paries est.

A toto

A toto in loco affirmatiue & negatiue. Maxima.

Cui tribuitur totum in loco, & quælibet eius pars ei tribuitur, ut, Enter præsenter Deus est hic & ubiq; potenter.

Ergo Deus & hic est potens.

A toto in tempore affirmatiue & negatiue. Maxima.

Cui tribuitur totum in tempore ei & quælibet pars tribuitur, Vt filius Dei existit ab æterno, Ergo existit ante incarnationem.

Cui adimitur totum in tempore, ei & quælibet pars adimitur, ut, Non fit naturalis eclipsis Solis nisi in diametrali oppositione Solis & Lunæ, Ergo tempore paßionis Christi eclipsis non fuit naturalis.

A parte in tempore negatiue tantum, Maxima.

Cui adimitur pars in tempore ei & totum adimitur, ut Cometa deflagrat aliquando, Ergo Cometa non est perpetuus.

A CAVSIS.

Causa est cuius ui euenit aliquid. Argumentamur autem à causa ad effectum, & ab effectu ad causam.

AB EF-

ABEFFICIENTE *causa argumentamur affirmatiue & negatiue.*

Maxima.

I. *Posita causa in actu ponitur & proprius eius effectus, ut Sol oritur, ergo lucescit. Dauid habet donum Spiritus sancti, ergo credit.*

II. *Remota causa remouetur & effectus, ut Pharao repugnat Spiritui sancto, ergo non credit.*

Ab effectu causæ efficientis. Et hæc argumentatio uocatur à posteriori. Nam effectus est posterior causa. *Maxima.*

III. *Posito proprio effectu ponitur & propria causa uel adesse uel adfuisse, ut Dies est, ergo Sol ortus est.*

Maxima.

IIII. *Vna causa naturalis non habet in eodem subiecto contrarios effectus proprios, ut Lex iram efficit, ergo non pacificat. Efficere iram & pacificare sunt contrarij effectus. Hic obseruandum est, hanc regulam esse intelligendam de causa naturali non de uoluntaria. Nam uoluntaria diuersos habet effectus, ut Alexander alias clementer, alias crudeliter agit, Non itaq; ualet, Alexander agit aliquando clementer, ergo nunquam agit crudeliter. Deinde etiam intelligatur de effectu proprio. Nam una causa potest habere diuersos effectus,*

ctus, sed per accidens. Vini effectus proprius est calefacere & humectare, sed in ebrijs exiccat & frigefacit.

Maxima.

V. Vna res non habet diuersa efficientia, quorum singula sufficiunt, ut.

Si ex operibus gratia, Ergo Christus frustra mortuus est,

Sic econtra: Christus mortuus est propter nostra peccata, Ergo nostra opera non merentur remißionem peccatorum.

Maxima.

VI. Causæ contrariæ plerunq; habent contrarios effectus, ut Ignis calefacit, ergo aqua frigefacit. Ignis & aqua contrariæ sunt causæ, ergo calefacere & frigefacere sunt contrarij effectus.

Maxima.

VII. Causæ natura sunt priores effectibus, ut Deus condidit mundum, ergo Deus & mundus non sunt coæterni. Deus fuit ante mundum, quia est causa & conditor mundi. Huc pertinet locus de serie causarum & effectuum, ut Abraham iustificatus fuit ante circumcisionem, ergo non propter circumcisionem.

Maxima

Maxima.

VIII. Ab ordine causarum remotarum & propinquarum. Aristotel. Quicquid est causa causæ, causæ causa est, ut Lumen syderum est causa temperamenti in hominibus. Temperamentum autem est causa inclinationum, morum & studiorum, Ergo lumen cœleste est causa morum & studiorum, nempe partialis, iuxta illud: Naturæ sequitur semina quisq; suæ. Item. Ebrietas est causa fumorum crassorum qui obruunt cerebrum, Craßi fumi obruentes cerebrum pariunt apoplexiam, Ergo ebrietas est causa apoplexiæ.

Appendices duæ.

Huc pertinet & regula iurisconsultorum Qui facit per alium per se fecisse uidetur, ut Clodius submisit sicarium qui cædem faceret, Ergo Clodius de cæde tenetur.

Item huc pertinet & hæc regula: Secundæ causæ non agunt sine prima, ut Deo non agente non urit ignis in camino Babilonico, prima causa est Deus, Secundæ causæ natura, uoluntas, fatum & fortuna. Ex hoc loco ait Psalmus, Nisi Dominus ædificauerit domum, frustra laborant qui ædificant eam. Item ad Roma: Non est currentis nec uolentis, sed miserentis Dei.

OBSER-

OBSERVATIONES.

Prima.

A causa per accidens ad proprium effectum non ualet consequentia, ut

Deus non requirit peccatum,
Iustitia externa est peccatum,
Ergo Deus non requirit iustitiam externam.

Nego consequentiam & ratio est, quia à causa accidentali ad effectum proprium non ualet consequentia. Nam iustitia externa est opus Dei in natura conditum, sed per accidens est peccatum, uidelicet propter hominis lapsum. Deus requirit externam iustitiam quatenus est opus Dei, non quatenus est peccatum, Est enim causa per accidens qua posita non necesse est sequi effectum. Sed per se causa est, qua posita in actu cum cæteris necessario cohærentibus sequitur effectus.

Aliud.

Auaritia est mala.
Coniugium contrahitur propter auaritiam.
Ergo coniugium est malum,

Nego consequentiam, & ratio est, quia posita causa accidentali non necessario sequitur effectus.

Est autem auaritia in minore causa per accidens, Nam coniugium à Deo est institutum, ubi inquit: Non est bonum hominem esse solum, Item Erunt duo in carne una, propter hos fines, quorum primus ac præcipuus est perpetua uitæ consuetudo, Secundus procreatio sobolis, Vult enim Deus consuetudine coniugali propagari genus humanum usq; ad finem mundi, ut ex eo æternam hæreditatem sibi colligat. Tertius finis secutus est post lapsum uidelicet remedium apponendum uagis libidinibus quibus Deus horribiliter irascitur, ut 1. Corinth. 7. uitandæ scortationis causa unusquisq; habeat uxorem suam. Quartus finis est allegoria pingens fœdus Christi & Ecclesiæ, de quo scribitur Ephes. 5. Magnum misterium est, Ego autem dico in Christo & Ecclesia. Huc pertinent regulæ.

Prima.

Vitia personæ non debent transferri ad artem, doctrinam & officium. Vt

Philosophi sunt mali, Ergo Philosophia est mala.

Ratio huius Regulæ est, Quia uitia personæ sunt causa per accidens. Et iuxta maximam, A causa per accidens ad effectum proprium non ualet consequentia.

Secunda

Aliud.

Vitia personæ non debent transferri ad officium uel doctrinam, ut, In moribus concionatorum hærent quædam uitia, Ergo doctrina eius est mala.

Nego consequentiam iuxta regulam, Vitia personæ non transferantur ad officium aut doctrinam, Item, Non quis, sed quid dicatur attende.

Secunda.

A causa partiali ad effectum non ualet consequentia, ut Homo habet liberum arbitrium, Ergo potest legi Dei satisfacere. Nego consequentiam & ratio est, quia à causa partiali ad effectum non ualet consequentia. Nam liberum arbitrium est tantum causa partialis impletionis legis. Est autem causa PARTIAlis quæ non est sufficiens ad effectum producendum, sed requiritur præter eam alia causa. Verum TOTALIS est quæ est sufficiens ad effectum producendum. Vt Puer habet ingenium bonum, Ergo euadet in doctum uirum. Nego consequentiam & ratio est, quia ingenium est tantum causa partialis, requiruntur etiam ad ingenium doctrina & exercitatio.

Tertia.

A causa remota ad effectum proprium non ualet consequentia. Vt, Motus cœlestis est efficax, Ergo fruges proueniunt.

Quarta.

A causa minus principali ad effectum principalem non ualet consequentia, ut Audit uerbum Dei. Ergo credit. Nego consequentiam, & ratio est, quia audire uerbum Dei est causa minus principalis. Verum principalis causa fidei est Spiritus sanctus, nostra uoluntas obtemperans & non repugnans est tantum causa minus principalis. Sic Ager bene est cultus, Ergo proferet multas fruges. Nego consequentiam, quia colere agrum est causa minus principalis.

Quinta.

A causa uoluntaria ad effectum non ualet consequentia, ut Faber est, Ergo domus est, Nego consequentiam & ratio est, quia causa uoluntaria potest agere aut suspendere actionem, ut Homo potest scribere, aut non scribere, Sed causa naturalis necessario agit, & non potest suspendere actionem, ut Naturalis uentriculi actio est coquere cibum acceptum & inde formare chylum, hic nullo modo potest cessare aut actionem suspendere, quare si destituatur cibo, attrahit à uicinis membris, & reuocat excrementa antea per pylorum extrusa in intestina, quæ denuo coquit.

Sexta.

Sexta.

A causa sine qua non ad proprium effectum non ualet consequentia. Est autem causa sine qua non, quæ à Galeno ὧν οὐκ ἄνευ nominatur, qua posita aliud sequitur, sed aliunde, h. e. quæ quidem nihil agit ad producendum effectum, sed tamen est quiddam necessarium ad producendum effectum, ut amotio puris in uulneris curatione est causa sine qua non, quia nihil agit ut producatur effectus, nempe consolidatio, Sed tamen ita adest, ut impediat consolidationem nisi uulnus primum purgetur & amoueatur pus. Nam nulla res humida & lubrica potest consolidari nisi adhibeantur exiccantia & astringentia, ut, Non ualet consequentia, Aër est perspicuus, Ergo Petrus uidet, quia aër est tantum causa sine qua non, quæ nihil agit in uisione, sed necesse est, oculus sit bene & naturaliter dispositus. Verum à causa sine qua non argumentamur saltem negatiue, ut, Medium est obscurum, Ergo non uidet, Pus non est amotum, Ergo non potest consolidari.

Septima.

A causa instrumentali ad effectum non ualet consequentia, ut Petrus habet selectissimam, bibliothecã, Ergo est doctus. Nego cons: Nam libri sunt tantum

causa instrumentalis, necesse est si quis uult euadere in uirum doctum & alia plura concurrant, ut, ingenium, diligentia & aßiduitas, exertitatio & præceptor.

Regula generalis complectens omnes cautiones traditas.

A causa per accidens, particulari, remota, minus principali, uoluntaria, sine qua non, instrumentali non ualet argumentatio.

A CAVSA MATERIALI.

Materia propriè est in rebus corporeis, & uocatur Materia ex qua. In rebus incorporeis abusiue, ut in habitus subiecta uocantur materia in qua, ut intellectus est subiectum scientiæ, & obiecta uocantur materia circa quam, ut morbus est obiectum medicinæ.

Materia ex qua duplex est { Naturalis & Artificialis.

Naturalis, ut semen est materia ex qua fit fœtus, ouum est materia ex qua fit gallina.

Artificialis ut forma & materia, ex qua fit panis.

Argu-

Argumentamur autem affirmatiue & negatiue ad esse & posse.

Maxima.

Posita materia ponitur affectus uel actu uel potentia. Vt Corpus humanum constat ex elementis, ergo est corruptibile. Item, Ligna sunt arida, Ergo facile possunt inflammari. Et

Non posita materia, nec effectus ponitur, ut Nulla adsunt ligna, nulli lateres, ergo non fit domus. Item materia non est idonea, ergo non potest fieri effectus bonus. Iuxta dictum, Non ex omni ligno fingitur Mercurius. Quare Plautus dicit, proba est materia, si probum adhibeat artificem.

AB EFFECTV AD MATERIAM.

Ab effectu materiæ permanentis ad ipsam materiam argumentamur ad esse effectum ad esse causam, hoc est, ab existente effectu causa colligitur, ut Statua lignea est, Ergo lignum est.

Maxima.

Posito effectu causæ permanentis ponitur effectus permanens.

AB EFFECTV CAVSÆ TRANSeuntis ad ipsam materiam.

Ad esse effectum argumentamur ad fuisse causam.

Maxima.

Posito effectu causæ materialis transeuntis posita est causa, ut Pannus est, Ergo forma adfuit. Charta est, Ergo Linthea adfuerunt.

A FORMALI CAVSA.

Forma est expolitio rei, uel est forma, quæ dat esse rei, ut Causa formalis in homine est mens & intellectus, seu anima. Argumentamur autem à formali causa tum affirmatiue tum negatiue.

Maxima.

Posita causa formali ponitur & effectus, ut infans habet animam in utero materno, Ergo est homo Et, Non posita causa formali, nec effectus ponitur, ut Anima excessit è corpore, ergo cadauer non est homo. Iuxta regulam Iurisconsultorum. Forma destructa res ipsa dest ructa uidetur, ut Cantarus quando est reductus in massam, non est amplius cantarus, quia amisit formam cantari.

A CAVSA FINALI.

Finis est consilium & intentio agentis, quia efficiens agit propter aliquem usum, uulgo appellatur causa impulsiua, ut Finis studiorum est cognitio. Aliqui autem sic distinguunt inter finem & causam finalem, Finis est propter quod efficiens agit seu a quo mouetur efficiens ad agendum, ut Habitatio est finis ædificantis. Verum causa finalis proprie

prie est cogitatio de fine in efficiente, mouens ad agendum, ut cogitatio de futura habitatione mouit ædificantem. Hæc duplex est, principalis & minus principalis, principalis est, qua adepta acquiescimus. Minus principalis est, qua adepta minus acquiescimus.

Maxima.

Cuius finis bonus est, & ipsum quoq; bonum est. Et econtra, Cuius finis malus est, & ipsum quoq; malum, ut Finis uirtutis est bonus, Ergo ipsa uirtus est bona. Item Finis peccati est malus, Ergo ipsum peccatum est malum.

Secunda Maxima.

Finis in omni negotio præcipue spectandus est, uel omnia sunt referenda ad certum finem, ut Finis hominis est actio uirtutis, Ergo homo propter nullam uoluptatem aut utilitatem debet recedere à uirtute.

Tertia Maxima.

Ex fine & consilio agentis ac facto iudicandum est, iuxta illud Iurisconsultorum, In maleficijs uoluntas spectatur non exitus. Item uoluntas & propositum distinguunt maleficia. Item punitur affectus licet non sequatur effectus, ut Errore lapsus est, Ergo minus est puniendus, iuxta illud. Ignorantia

facti non iuris excusat. Vt Clodius est insidiatus Miloni, Ergo iure est interfectus.

Quarta Maxima.

Illud magis existit propter quod aliud existit, uel ut uulgaris est regula. Propter quod unumquodq; tale est, illud magis tale est, Hæc regula de causis principalibus, finalibus uniuersaliter uera est, Sed de efficientibus dißimilitudo est, ualet autem in efficientibus propinquis, totalibus, uniuocis, non in partialibus, aut remotis, aut priuatis, ut Diligit laborem propter lucrum, Ergo lucrum magis diligit. Item, Aqua calet propter ignem, ergo ignis magis calet. Non autem ualet consequentia in hoc argumento: Pater æternus uult incarnationem filij propter homines, Ergo homines magis uult quam filium.

Nego conseq: & ratio est, quia plus est in conclusione quam in antecedente, Deus uult incarnationem principaliter propter hunc filium, propter intercesßionem filij deprecantis, postea uult etiam alios homines propter hunc filium. Paterfamilias uult intercesßionem Dominæ, Ergo magis uult seruum. Non sequitur, non uult Dominam, propter seruum, sed seruum propter dominam, non sunt causæ finales, sed sunt impulsiuæ.

Silenus est ebrius propter uinum, ergo uinum magis

magis est ebrium, Nego consequen: quia uinum est causa remota ebrietatis.

Regula generalis quæ ad omnia genera causarum potest accommodari.

Deficiente causa deficit & effectus, ut Ligna deficiunt, ergo extinguetur ignis, Faber non edificat, ergo non fiet domus. Anima excessit è corpore, ergo non amplius est homo. Honos non habetur artibus, ergo studia artium negligentur.

OBSERVATIONES.

Quadrupliciter ducuntur argumenta ex hoc loco à causa finali.

Prima.

Destructo fine minus principali, non necesse est destruatur principalis. Honos alit artes, qui iam artibus detrahitur, ergo studia sunt abijcienda.

Nego conseq: & ratio est, quia honor est minus principalis finis est mandatum Dei, quare principalem non debet destruere minus principalis.

Secunda.

Finis principalis non destruit finem minus principalem, ut Principalis finis studiorum est celebratio nominis diuini, Hic non tollit minus prin-

cipalem, nempe ut honeste nobis comparemus uictum & amictum, & tueamur in repub: honestum locum. Recte agendum est principaliter propter Deum. Ergo non licet expetere præmia recte factorum. Nego conseq: & ratio est, quia principalis finis non destruit minus principalem. Etsi principaliter recte agendum est propter Deum, Tamen licet etiam expetere præmia suo modo & ordine, uidelicet, ne præmia præferantur fini principali.

Tertia.

A fine mediato ad immediatum non ualet consequentia, ut Audire uerbum est cultus Dei. Ergo sonus campanæ uocans ad concionem est cultus Dei. Nego conseq: & ratio est, quia mediatus finis est uocare populum ad concionem.

Quarta.

Ab abusu ad ipsam rem non ualet consequentia, quia abusus non tollit rem sed confirmat, ut Homines utuntur uino ad perniciem suam, Ergo uinum est malum. Iuxta illud, quia plures crapula quam gladio moriuntur. Nego consequen: & ratio est, quia abusu res bona non tollitur. Ad hanc regulam pertinent Canones Iurisconsultorum, Legata ad usum illicitum, debent conferri ad usum licitum, quia quod semel Deo dicatum est, non debet con-

conuerti ad usus prophanos. Item, Non est probare hoc esse, quod potest ab eo abesse, ut Natus est ab ingenuis & honestis parentibus, Ergo est ingenuus & honestus.

Ab antecedentibus & consequentibus.

Locus antecedentium & consequentium differt à causa sicut genus à specie. Antecedens & consequens est genus, causa & effectus sunt species. Nam antecedentia & consequentia latius patent quam causa & effectus. Antecedentia uocantur quæcunq; natura præcedunt, etsi non sunt causæ, ut Morbus præcedit curationem, sed non est causa. Consequentia uero quæcunq; natura consequuntur aliquid. Hic locus complectitur causas, circumstantias, signa, habitus & priuationes. Argumentamur autem ab antecedentibus ad consequens negatiue.

Maxima.

Negatum antecedens negatur & consequens. Seu, Negato priore tollitur consequens, ut, Non est morbus, Ergo non ex opus medico. Sol non est ortus, Ergo non est dies.

Argumentamur etiam affirmatiue ab antecedentibus ad cõsequens in terminis cõuertibilib: ut uiuit,

ergo spirat. Item de causa propria, ut Christus resurrexit, Ergo & nos resurgemus. Nam Christi resurrectio est propria causa nostræ resurrectionis.

A consequentibus ad antecedentia argumentamur affirmatiue & negatiue. Maxima.

Posito consequente ponitur & antecedens, uel, Posito posteriore ponitur & prius, ut, Furtum prohibetur, ergo distinctio dominiorum & proprietates possessionum approbantur. Nam furtum est consequens proprietatis, si non est distinctio dominiorum, tunc non potest committi furtum. Est enim furtum contrectatio rei alienæ inuito domino.

Negatiue ualet in definitione, & in effectu causæ propriæ, & in terminis conuertibilibus, ut, Consolationes præcedunt terrores, Consolatio enim non habet locum nisi ubi sunt terrores. Hic locus magis ualet ad ornandum quam ad probandum. Itaq; hic locus non parit demonstrationes, sed tantum argumenta probabilia.

A COMPARATIS SIVE similibus.

Comparata seu similia Cicero collationem uocat. Ab hoc loco argumentamur tum affirmatiue tum negatiue.

Maxima.

Maxima.

Quod in uno similium ualet, ualet etiam in alio. Et econtra, quia de similibus idem est iudicium. Et Cicero : Valet æquitas, quam paribus rebus paria iura desiderat. ut Homines ad artes assuefieri possunt, Ergo possunt etiam assuefieri ad uirtutem. Hic artes & uirtus conferuntur in assuefactione ut paria. Item Corpus sine mente non potest uti suis membris, Ergo uec ciuitas sine legibus potest uti suis partibus. In hoc exemplo conferuntur corpus & ciuitas, mens & leges, Ciuitas conuertitur cum lege, corpus cum mente.

A MAIORE AD MINVS.

Argumentamur ab hoc loco tantum negatiue, iuxta maximam. Si id quod magis inesse uidetur non inest, nec illud inerit, quod minus inesse uidetur ut si Lex diuina non iustificat, ergo [nec] traditiones humanæ. Sic Terentius : Cuius tu fidem in pecunia perspexeris & uerere uerba credere. In pecunia te non fefelli, ergo nec in uerbis te fallam. Idem, Nam qui consueuerit mentiri aut fallere patrem, & alios audebit. Item, Si Abraham propter tam præstantes & heroicas uirtutes non fuit iustus coram Deo, Ergo neq; nos propter exiguas scintillulas uirtutum iustificabimur.

Maius & minus non spectatur ex dignitate rerum

rerum quæ conferuntur, sed ex probabilitate quam habent ad id quã comparantur, Cicero pro lege Manilia. Non potest exercitum continere, qui se ipsum non continet. Se ipsum continere est probabilius, habet maiorem suæ ueritatis probabilitatem. Continere exercitum est minus probabile. Sic Cæsar: An qui incolumes resistere non potuerunt, perditi resistant?

A MINORE AD MAIVS.

A minori ad maius affirmatiue argumentamur.

Maxima.

Si id quod minus inesse uidetur inest, etiam id quod magis inesse uidetur, inerit, ut Licet bouem die Sabbatho seruare, ergo & hominem. Ex hoc loco nata est sententia: Taurum tollit qui uitulum sustulerit. Hæc regula usum habet apud Rhetores quando ex statu aliquid colligitur quod non est compræhensum lege, uel de quo lex expresse non loquitur. Nam status syllogisticus est cum causa in similitudine colligitur, ut licet defensionem petere ab armato magistratu, Ergo licet etiam à magistratu togato in iudicio petere defensionem ad res nostras obtinendas. Rudolphus Agricola discernit similitudinem & comparationem.

Com-

Comparatio est cum duo conferuntur in aliquo tertio quod ambobus commune est, ut Homines ad artes assuefieri possunt, Ergo etiam ad uirtutem. Hic artes & uirtus conferuntur inuicem in uno tertio uidelicet in assuefactione quæ utriq; est communis. Rudolphus tria ponit in comparatione, Maius, Minus, Par. SIMILITVDO *uero cum duo conferuntur in duobus, ut Vascula oris angusti suprafusa humoris copia respuunt, Sensim autem instillando implentur. Sic tenerum puerorum ingenia quæ magna sunt non percipiunt, sed quæ exigua & illis apta sunt, discunt. Similitudinibus uero utimur aut ad probandum, aut illustrandum quæ ad probandum adhibentur. Hæc est in qualitate, Illa in quantitate. Deinde in similibus est simile aut dissimile. In comparatione uero æquale aut inæquale, maius aut minus.*

DE OPPOSITIS SIVE *repugnantibus.*

Rudolphus repugnantiam uocat rerum per se dissidentem habitudinem, qua fit, ut alterum dici id esse, quod alterum esse non posit. Huius duæ sunt species, Opposito & Differentia, de qua in proximo loco dicetur.

Oppoſitio eſt quando unum uni repugnat, ſic ut neq; alterum de altero, neq; ambo de tertio ſimul dici & reſpectu eiuſdem poßint, ut nigrum & album. Non enim poteſt dici album & nigrum ſimul, ut paries albus & niger.

Oppoſitorum quatuor ſunt formæ ex Ariſtotele.

- I. Contraria, Cicero aduerſatiua uocat.
  - Calidum
  - Frigidum
- II. Relatiua ſunt Relata Cice. Comparata.
  - Dominus
  - Seruus
- III. Priuata Cicer. priuantia.
  - Viſio, cæcitas
  - Lux, tenebræ.
- IIII. Contradictoria ſiue contradicentia ſiue negata. Cicer. Negantia.
  - Viuere
  - Non uiuere.

CONTRARIA.

I. Contraria sunt quorum utrunq; potest simul existere. & alterum sine altero esse, uel Contraria sunt duæ qualitates pugnantes, ut calidum & frigidum.

Sanum,	Ægrum,	Honestum,	Turpe.
Sapientia,	Stultitia,	Iustum,	Iniustum.
Graue,	Leue,	Bonum,	Malum.
Rarum,	Densum.		

II. Relatiua quæcunq; hoc ipsum quod sunt, aliorum sunt, ut

Pater,	Filius.
Dominus,	Seruus.
Dimidium,	Duplum.

III. Priuatio est defectus alicuius in eo quod id natum est habere, ut, Peccatum in homine, tenebræ sunt priuatio lucis. Verum cæcitas non est in lapide, quia non natus est ut uideat.

IIII. Contradictoria sunt duæ propositiones affirmatiua & negatiua, ut Plato est homo, Plato non est homo. Est tantum in propositionibus non in singulis uocabulis.

A CONTRARIIS.

Contraria sunt duplicia, mediata & immediata.

Mediata sunt inter quæ cadit aliqua forma media, ut inter nigrum & album cadunt colores medij, ut flauus, uiridis. Immediata inter quæ non cadit aliqua forma media, ut quorum necesse est alterum existere. Vt, Sanum, ægrum, Humidum, Siccum, Nihil enim est medium inter humidum & siccum, ut terra est humida & sicca.

Argumentamur à contrarijs tam mediatis quam immediatis affirmatiue. Maxima.

Posito uno contrariorum remouetur alterum, Scilicet ad affirmationem unius & negationem alterius. Exemplum de mediatis. Nix est candida, Ergo non est nigra. De immediatis.

Plato est sanus, Ergo non est æger.

In contrarijs immediatis destructiue etiam ualet, hoc est, In contrarijs immediatis ualet argumentum negato uno & assumpto altero. Et in hac argumentatione antecedens oportet esse negatiuum. Consequens uero affirmatiuum, ut

Abraham fidit Deo, Ergo non seruit mamonæ,
Abraham non seruit mamonæ, Ergo fidit Deo.
Non est sanus, Ergo est æger.

Regula

Regula.

Opposita respectu eiusdem intelligi debent. Itaq; in amphibolia non est uera contrarietas siue oppositio. Nam intelliguntur respectu diuersarum, ut Christiani diligunt Deum, Ergo non timent Deum. Respondeo est duplex timor, Timor seruilis & Timor filialis, Christiani non timent Deum timore seruili, qui est custos disciplinæ, sed timore filiali in quo est fides, qua corda in pauore eriguntur consolatione.

A RELATIVE OPpositis.

A relatiue oppositis respectu eiusdem subiecti affirmatiue tantum argumentamur.

Maxima.

Posito uno relatiuo in uno subiecto, remouetur alterum, ut, Philippus Macedo est pater Alexandri Magni, Ergo non est eius filius. Hic pater & filius conferuntur in uno subiecto uidelicet Philippo.

Secunda.

A relatiuis respectu diuersorum subiectorum affirmatiue & negatiue argumentamur.

Maxima.

Relatiua & correlatiua natura simul existunt, Quare uno posito, ponitur & alterum, & negato uno negatur & alterum, ut Simo est dominus, Ergo habet seruum. Dauid est pater, Ergo habet liberos. Dauid non habet liberos, Ergo non est pater.

A PRIVATIVE OPPOSITIS.

A priuatiue oppositis argumentamur affirmatiue & negatiue.

Maxima.

Posita priuatione remouetur habitus. Et econtra, Remota priuatione ponitur habitus, ut Cyclops est cæcus, Ergo non uidet. Christus est Lux mundi, Ergo sine Christo sunt tenebræ.

EXCEPTIONES.

Prima.

Non existente subiecto non ualet argumentum ab appositiuis priuatiue, ut cum non existit aliquis in quo hæreat habitus, ut Bucephalus non uidet, ergo Bucephalus cæcus est, Non ualet argumentum, quia Bucephalus est nihil positiue, in quo habitus hærere non potest.

Secunda.

Tempore non determinato ad naturam non ualet

ualet argumentum, hoc est, cum nondum existit tempus quo res naturaliter illum habitum percipere potest, ut Catulus non uidit usq; in diem nonum, ergo est cœcus. Item pueri non habent doctrinam neq; experientiam, ergo non sunt docti.

Tertia.

Si materia non est apta ad formam recipiendam, non ualet argumentum, ut, Lapis non uidet, Ergo est cæcus.

Quarta.

A negetiue actus ad positionem priuationis non ualet argumentum, ut, Dormiens non uidet in actu, Ergo est cæcus.

A CONTRADICTORIIS argumentamur affirmatiue & negatiue. Ab affirmatione unius ad negationem alterius, Et econtra, A negatione unius ad affirmationem alterius.

Maxima.

Perpetua est Lex contradictoriarum, si una est uera, altera erit falsa, & econtra, uel de quolibet affirmatio uel negatio, de nullo utrunq;.

Duæ singulares etiam opponuntur contradictorie. Item Duæ indefinitæ etiam opponuntur contradictorie, ut Nullus uiuens iustificabitur in conspectu tuo. Hæc est uera, ergo altera erit falsa

Quidam uiuens iustificabitur in conspectu tuo. Item in singularibus. Propter Christum sumus accepti. Hæc uera est, Ergo propter Christum non sumus accepti, est falsa, Duæ indefinitæ, Fides iustificat, Hæc est uera,, Fides non iustificat, est falsa.

A DISPARATIS SIVE differentijs.

Differentia quæ ab alijs disparata seu distantia uocantur, sunt, quæ inter se non pugnant secundum quatuor modos oppositorum, sed tamen sunt substantijs inter se dimota, ut Cicero & Cato differunt, atq; ea persona quæ uocatur Cicero non uocatur aut est Cato.

Eorum autem quæ differunt quatuor sunt species.

Primo differentia numero sunt indiuidua eiusdem speciei, ut Cicero, Scipio, Demosthenes, Alcibiades. Item Bucephalus, hic equus, iste equus.

Secunda differentia speciei sunt species diuersæ, ut homo est equus. Aut diuersarum specierum indiuidua, ut Alexander Bucephalus.

Tertia differentia genere sunt diuersa genera, aut sub diuersis generibus posita, ut uitis & equus, arbor & homo.

Quarta differentia prædicamentis sunt, quæ in diuersi

diuersis prædicamentis ponuntur, ut homo est iustitia.

Maxima.

Argumentamur uero ab hac forma tantum affirmatiue. Posito uno disparatorum, remouetur alterum. Vt Hæc persona est Cicero, Ergo hæc persona non est Cato. Homo est animal, Ergo homo non est lapis. Peccatum defectus, Ergo non est res creata. Negatiua non ualet ab hac forma, quia disparatis non unum aliquod opponitur sed plura, ut Philosophia nihil docet de uita spirituali, Ergo est inutilis.

Excipiuntur etiam ab hac maxima prædicationes figuratæ & inusitatæ, ut Tyrannus est homo, Ergo non est Lupus, ualet in prædicatione regulari, sed non in prædicatione irregulari & figurata, quia tunc Lupus per Metaphoram pro accidente ponitur Sic non ualet, Christus est homo, Ergo Christus non est Deus, quia inusitata prædicatio habet locum in propositionibus de Christo, ut Deus patitur.

APPENDIX.

Sæpe etiam in argumentatione duplex est oppositio, cum uidelicet antecedentia & consequentia oppositorum conferuntur. Hic locus cum duo contraria conferuntur uulgo uocantur à contrario sensu, Item à contrario & in ipso, cum duo opposita conferuntur in antecedente, ut pax & bellum,

& tanquam annexum suum seu consequens accommodatur, ut Pax est conseruatio disciplinæ & artium, Ergo bellum est deuastatio.

Maxima.

Contrariorum contraria sunt consequentia, ut iustitia est uirtus. Ergo iniustitia est uitium. Hic conferuntur iustitia & iniustitia, uirtus & uitium, Virtus est consequens iustitiæ. Nam uirtus prædicatur de iustitia. Vitium uero est consequens iniustitiæ, quia prædicatur de iniustitia.

Responsio mollis & moderata soluit iram, Ergo amara exagitat iram. Præceptoris est docere, Ergo discipuli est discere.

A Contrario.

Cum ordine contrario disponuntur opposita in antecedente & consequente, Dialectici uocant conuersionem per contrapositionem, ut, Qui timet Deum facit bona, Ergo qui non facit bona non timet Deum. Bona arbor bonos facit fructus, Ergo non faciens bonos fructus non est bona arbor. Opposita in his exemplis sunt, facere bona & non facere bona. Timere Deum, & non timere Deum. Item, Qui ex Deo est uerbum Dei audit, Ergo non audiens uerbum Dei non est ex Deo.

Huic loco cognata est apud Rhetores commutatio,

tatio, græcis, μετάθεσις ἀντιμεταβολή, ut Esse oportet ut uiuas, non uero uiuere ut edas. In ipso naturarum ordine directo opposita uere ubiq; conferuntur, id est, antecedente & consequente, ut Deus obedientibus promittit præmia, ergo contumacibus cominatur pœnas.

Hæc maxima & alijs uerbis efferri solet, Contrariorum eadem est disciplina, ut. Si mala opera damnant, Ergo bona opera iustificant. Hæc consequentia ualeret si bona opera essent perfecta, sed non est integra contrarietas. Ideo non ualet argumentum, Nam bona opera sunt contaminata multiplici immundicie, non sunt integra obedientia & perfecta erga totam legem quam Deus requirit, iuxta illud Christi, Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus uiribus tuis, & proximum sicut te ipsum, Mala opera sunt imperfecta, Ergo damnant.

Ex hoc loco contrariorum oriuntur multæ formæ argumentandi, uiolatio. ἀντιστρεφον siue dilemma, Item figuræ amplificationis, ἀντίθεσις &c.

VIOLATIO.

Cum argumentum aduersarij contra ipsum detorquetur, seu, Cum aduersarium suo iugulamus gladio. Exemplum Demosthenis. Non si quid unquam contra leges factum est tuq; id es imitatus.

 ideo

ideo de pœna liberari conuenit. Sed damnari multo magis. Nam ut si quis illorum damnatus esset tu hæc non scripsisses, Ita si damnatus tu fueris non scribet alius. Arestogitones sic argumentatur, Fecerunt & alij contra leges & absoluti sunt, Ergo & mihi condonandum est, Iurisconsultus inquit: Veritas rerum gestarum erroribus non uiciatur.

ANTISTREPHON SEV Dilemma.

Cum duobus contrarijs positis concesseris utrumuis, repræhenderis, ut stultum est obtrectari absentem. Nam si amicus est, cur non admones præsentem. Si inimicus cur odium prius in te obtrectandi irritas.

De antistrophonte Gell: 5. cap. 10. & 11. Idem lib: 9: cap. ultimo.

Vitiosum antistrephon est cum pars utraq; conuerti potest. Cicero uertit Inuersionem. Sicut illud Coracis: Si litem uicero, debes pecuniam, quia sententia iudicum damnatus es, Si litem non uicero debes nihilominus, quia artem didicisti. Aduersarius partem utramq; inuertit: Si litem uicero, non debeo quia sententia iudicum abso'utus sum, Si litem non uicero non debeo, quia artem non didici. De hoc argumento

gumento, Erasmus in prouerbijs κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, Hinc oritur Embymema Rhetoricum quod ex pugnantibus constat, ut Nulla salus bello pacem te poscimus omnes.

Est etiam uiciosum ἀντίστρεφον quando conferuntur contraria mediata, ut, Si formosam duxeris habebis communem. Si deformem habebis pœnam, Ergo non est ducenda uxor.

Ἀντίθεσις est amplificatio à contrario. Qui colligit in æstate prudens est, Qui in messe dormit, confunditur. Salomon: Hæc sentantia iubet uti occasione, qui studet dum est discendi oportunitas prudenter agit, qui hanc occasionem negligit stulte facit, iuxta illud: Fronte capillata, post hæc occasio calua.

Isocrates.

Qui malæ præest rebus proprijs, nunquam bene administrabit aliena. Quam sententiam Cicero lib. 4. ad Herenni: his uerbis offert: Nam qui suis rationibus inimicus fuerit semper, quomodo alienis amicum fore speres?

AB AVTORITATE.

Hunc locum Rudolphus uocat pronunciata quæ sic definit: Pronunciata sunt, quæ quis de re aliqua, ut aut affirmaret, aut negaret, elocutus est.

Cæte-

Cæterum omnia argumenta quæ extrinsecus assumuntur, ducuntur ex authoritate, quæ græci uocant τὺς τόπυς ἄτεχνυς, hoc est, locos inartificiales, quia non magna doctrina et arte opus est ad hæc argumenta inuenienda & eruenda. Nam sæpe indocti hisce etiam utuntur.

Est autem authoritas duplex, diuina & humana.

Humana authoritas cum citatur Poëta, Philosophus, Orator, Iurisconsultus, aut alius quispiam prudentia & fama clarus. Ab hac argumentamur tantum affirmatiue & non negatiue, ut Plato dixit, animas hominum esse immortales, Ergo uerum est, Iuxta Maxima, Cuilibet experto in sua arte credendum est. Item, Quod omnibus uel pluribus uel sapientibus hominibus uidetur, ei contradicere non oportet. Vt Cicero dixit, Eloquentiam absq; sapientia esse non posse, Ergo uerum est. Hoc loco auditores Pythagoræ nimis crebro & prolixæ usi sunt. Nam in disputationibus si quid esset probandum non adferebant rationem, cur aliquid esset uerum aut falsum, sed adferebant præceptoris authoritatem αὐτὸς ἔφη ipse dixit. Sed Cicero inquit. Non esse quærendam tam authoritatem quam rationem.

Non

Non ualet negatiue, ut Cicero in officijs posuit tantum quatuor tirtutes, ergo sunt tantum quatuor. Galenus Dioscorides nihil prodiderunt de hac herba aut de hoc morbo, Ergo non est.

Authoritas uero diuina est quando citatur uerbum Dei, Et ab hac argumentamur tum affirmatiue, tum negatiue, quia testimonia scripturæ pro demonstrationibus habenda sunt.

Affirmatiue.

Christus dicit: Sine me nihil potestis facere. Ergo nullum opus nostrum sine mediatore Christo placet Deo.

Negatiue.

Nullus extat locus in sacra scriptura de purgatorio, de inuocatione Sanctorum, de applicatione missæ, de monachatu, de cœlibatu, de usu sacramenti sub una specie, ergo ista omnia sunt inania figmenta.

Huc pertinent loci ἄτεχνοι, h. e. inartificiales. ut,

A testibus, à legibus, à rumoribus, à tabulis, à chyrographis, à confeßionibus, ab institutis maiorum, à consuetudine, de quibus Rhetores & Iurisconsulti præcepta tradunt.

Huc etiam referenda sunt argumenta ducta

ab apophe-

ab apophtegmatibus, ab apologis, ab adagijs ἀχρεία ut Augustinus dixit, Festina lente, Ergo in consilio agendo & in rebus agendis fugienda est, præcipitantia, Germani, Eilen brach den hals. Quare ut omnibus hæc sententia esset notissima, inter tria apophtegmata fuit & hoc in scriptum templo Delphico σπεῦδε βραδέως. Item ab apologis. Canis carnem ex ore deijciens & umbram sequens, utrunq; amisit. Ergo turpe est abijcere rem & sequi spem. Singulare non mutabis, donec plurale uidebis, Ergo præsens fortuna retinenda & bona consulanda est. Ab Adagijs, Amicorum omnia sunt communia, Ergo inter amicos debet esse liberalis communicatio. Spartam quam nactus es hanc orna. Ἀχρεία: χρεῖαι sunt sententiæ magnorum authorum & clarorum uirorum, 1. Corinth. 15. Paul: ex Menandro: Corrumpunt bonos mores colloquia praua, Ergo periculosum est audire uel legere disputationes papistarum &c.

Aristoteles 1. Ethico: Multum à teneris annis sic uel sic assuefieri, Ergo multum refert ad uirtutem pueros iam inde ab incunabilis recte educari.

Aristides interrogatus quid discriminis esset inter doctum & indoctum, Respondit quod inter

uiuum

uiuum & mortuum. Ergo nobis studendum est, ne nos similes mortuis esse uideamur.

A SIGNIS.

Signa sunt notæ subiectæ sensui unde aliquid colligi solet, & sunt plerunq; causæ partiales & remoti effectus.

Rudolphus signa uocat contingentia, quia sunt tanquam uestigia quæ deducunt nos ad rem ipsam circa quam contingunt. Cicero in Topicis uocat adiuncta, uulgus signa appellat, communiter accidentia, Iurisconsulti uero præsumptiones, hoc est, suspiciones. Sunt autem signa duplicia, Alia sunt necessario quæ Græcis τεκμήρια, alia probabilia quæ Græcis εἰκότα.

τεκμήρια sunt quæ constant ex necessarijs causis & conclusionibus, ex quibus syllogismus demonstratiuus texitur.

Probabilia uero quæ ferè semper solent fieri, sed non simpliciter.

Maxima à signo necessario.

Posito signo necessario ponitur & eius significatum, ut, Mulier habet lac, Ergo est grauida. Nam lac in uberibus est signum puerperij.

puerperij. Hoc ſignum neq; eſt cauſa neq; effectus, ſed per accidens comitatur effectum, ſcilicet partum, Perſpicue docet, Ergo eſt eruditus, Nam Ariſtoteles inquit, Perſpicue docere eſſe ſignum ſcientiæ, iuxta illud: Quodq; parum nouit, nemo docere poteſt, Et Pindarus, Τὸ διδάξασθαι δὲ τοι εἰδότι ῥᾴτερον. Non autem contra argumentamur affirmatiue à ſignificato ad ſignum neceſſarium, ut Eruditus eſt, Ergo perſpicue docere poteſt. Nam ſcientia eſt cauſa partialis ad perſpicue docendum, Plus enim ad hunc effectum requiruntur quam ſcientia, uidelicet ingenium, excellens & ſingularis doctrina & imitatio.

Maxima de ſigno probabili.

Poſito ſigno probabili ponitur & eius ſignificatum probabiliter, non neceſſario, ut Clodius ſemper fuit audax & contemptor legum, Ergo uериſimile eſt eum habuiſſe conſilium faciendæ cædis. Iuxta illud Iuriſconſultorum, Qui ſemel malus, ſemper præſumitur eſſe malus in eodem genere delicti, Hoc argumentum ducitur à ſigno, uidelicet à uita ante acta.

Non ualet argumentum quod non propriam uim ſignificat, ut Habet longum cultrum, ergo eſt coquus.

Cicero

Cicero in officijs, Natura abdidit membra quæ deformem aspectum habent, Ergo natura requirit pudorem & uerecundiam in sermone & in gestu.

Bonis parentibus est natus, recte educatus & institutus, consuetudine & societate bonorum delectatur, Ergo ingenio probo & honesto est.

LIBER QVINTVS.

DE FALLACIIS SEV DE captionibus sophisticis.

SVPRA dictum est, tria esse præcipua officia Dialectices, definitionem, diuisionem & argumentationem. Quorum duo priora in primo & secundo libro absoluimus, in tertio & quarto tradidimus formas argumentationum, & ostendimus ueram rationem connectendi ex proprijs locis, & qualis à quolibet fiat processus, Iam in hoc quinto libro ostendendum est, quo pacto sophismata & fallaces captiones animaduertere & soluere possimus, quæ sub specie ueri proponuntur, quas sæpe homines non periti & exercitati amplectuntur & defendunt. Etsi aliquæ naturæ præstantes sua na-

turali ui uident & animaduertunt falsitatem propositionum: Tamen non intelligunt causas & fontes erroris ac falsitatis, sæpe etiam & ipsi falluntur, ut multi sic argumentantur, Aulici fiunt diuites, Ergo & tu fies diues, interdum etiam suspenduntur, ut rex Gallicus suspendit suum thesaurarium quem nominabat patrem. Verum ut effugiamus captiones & fallacias etiam subtiles non cuilibet natas, Hanc postremam Dialectices partem subijciamus, quæ docet intricatas captiones soluere tanquam nodum Gordium. Est autem fallacia cauillatio uel uiciosum argumentum, quo in circumspectus specie recti uel ueri & apparentiæ decipitur, ut Iudæi decipiuntur hoc somnio, Impoßibile est populum Dei aboleri, Nos sumus populus Dei, quia habemus promißiones in specie de Meßia, Ergo non delebimur.

Quotuplex est syllogismus?

Triplex, Alius est demonstratiuus, alius Dialecticus, alius Sophisticus.

Quid est demonstratiuus.

Demonstratiuus est quædam collectio è ueris principijs, seu qui constat ex materia necessaria & immota, ut

Omnia

Omnia delicta labefactantia societatem humanam sunt punienda ui corporali.

Furtum est delictum quod labefacit societatem humanam, Ergo furtum est puniendum.

Huius argumenti demonstrationes sumuntur ex principijs & experientia in doctrina morali.

Quid est Dialecticus?

Syllogismus Dialecticus est qui non constat ex materia necessaria sed probabili, ut

Matres habent naturales στοργάς, *erga suos liberos,*

Hæc habet naturalet στοργάς, *quia infantem non uult interfici, Ergo est mater.*

Quid est Sophisticus?

Sophisticus syllogismus est argumentatio constans ex falsis, sed tamen ueri speciem habentibus, ut

Inutilia non sunt legenda,

Poetæ docent inutilia,

Ergo Poetæ non sunt legendi.

Verum in huiusmodi argumento duo sunt obseruanda, Forma & materia, si uitium est in forma, rectissime argumentum refutatur negatione consequentiæ, & malam consequentiam seu cohærentiam ostendunt regulæ, tum speciales, tum generales. Si uero uitium est in materia, tunc argumen-

tum soluitur aut inficiatione, aut distinctione, ut instantia. Inficiatione, hoc est, negatione consequentiæ, quando definitio aut nimis late uagatur, aut minus stricte & anguste, aut quando ex uocibus non necessario cohærentibus constat, ut quando uitiosa est diuisio &c. Distinctione, quando aliquid quod multa sub se complectitur, distinguimus, quia omne multiplex parit ambiguitatem. Instantia uero quando argumentum non repræhendimus, nec eius solutionem attingimus, sed absurdum aliquod opponimus. Hæc omnia fiunt lucidiora exemplis.

Argumenta quæ soluuntur inficiatione.

Turbans pacem displicet Deo,
Prædicans ueritatem turbat pacem,
Ergo prædicans ueritatem displicet Deo.

Respondeo primum ad Maiorem, Turbans pacem displicet Deo, Scilicet qui est per se causa turbationis. Deinde ad Minorem: Prædicans ueritatem turbat pacem, Minorem nego, quia prædicans ueritatem non est per se causa turbationis, sed illi qui ueritati aduersantur, qui deberent uerbo Dei obedire. Aliud.

Augens peccata est res mala.
Lex auget peccatum,
Ergo Lex est res mala.

Nego

Nego minorem, Nam lex per se non auget peccatum, sed per accidens, quia nostra natura repugnat legi, & fremit aduersus Deum.

Aliud.

Anabaptistæ affirmantes pueros esse sine peccato originali sic argumentantur.

Nihil est peccatum nisi actio,
Pueri nondum habent actiones,
Ergo pueri non habent peccatum.

Respondio per inficiationem. Maiorem nego, quæ simpliciter est falsa. Nam peccatum non solum est actio, sed est & defectus & inclinatio pugnans cum lege Dei, offendens Deum & commerens pœnas æternas, nisi fiat remißio propter filium mediatorem, Huiusmodi inclinatio & defectus est in pueris. Nam mens est plena caliginis & dubitationum de Deo. In uoluntate & corde sunt multiplices flammæ errantium cupiditatum & pugnantium cum Deo.

Argumenta que soluuntur distinctione.

Vindicta est prohibita,
Bellum est uindicta,
Ergo bellum est prohibitum.

Respondeo ad maiorem, uindicta est prohibita, nempe priuata & non ordinata. Deinde ad minorem, Bellum est uindicta scilicet publica.

Aliud.

Accidentia non cadunt in Deum,

Numerus est accidens,

Ergo non cadit in Deum, & per consequens non est trinus.

Respondeo ad Minorem, Numerus est accidens numerantis non numerati.

Aliud.

Quicquid potest mutari non est immotum,

Lex Dei potest mutari,

Ergo non est immota. Minor probatur lib. 1, Samuel: cap. 15. ubi Saul debuit occidere regem.

Respondeo ad minorem, Lex Dei potest mutari nempe in nobis, quando diuina lex est immutabilis, intelligimus immutabilem esse in Deo, in nobis uero est mutabilis, quare etiam sustinemus poenas.

Aliud.

Lex & Prophetæ usq; ad Iohannem,

Ergo postquam Iohannes est missus lex est abolita.

Respondeo ad antecedens, Christus loquitur non de lege morali, sed de lege ceremoniali, quæ non ad omnes homines pertinet, uerum illi populo erat tradita in specie. Deinde omnia uaticinia prophetarum de Christo uenturo durauerunt tantum usq; ad aduentum Christi.

Aliud.

Aliud.

Impletio legis est iustitia,
Dilectio est impletio legis. Rom. 13.
Ergo dilectio est iustitia.

Respondeo per distinctionem primum ad Maiorem.

Impletio legis est iustitia, Hæc propositio uera est de iustitia legali. Deinde ad Minorem, Dilectio est impletio legis, hæc uera est loquendo de perfecta dilectione. Ergo dilectio est iustitia uidelicet perfecta dilectio est iustitia legis. Sed nullus est hominum qui illam perfectionem, quam lex requirit, habet. Ideo Dominus noster Iesus Christus in hunc mundum uenit, assumpsit miseram massam generis humani, & in sese deriuauit pœnas, ut iam illius iustitia uestiti recipiamur ab æterno patre, sicut Esaias scribit, Ipsius liuore sanati sumus.

Argumenta quæ soluuntur instantia.

Omne quod sese mouet semper mouetur.
Anima mortalis sese mouet,
Ergo semper mouetur, & est immortalis.

Nego consequentiam, & do instantiam, quia anima bouis etiam mouetur, & tamen non est immortalis.

Argumentum Osiandri.

Vbi non est peccatum ibi nulla est imputatio.

In spiritu, hoc est, in nouitate non est peccatum, quia diuinitus est tale.

Ergo non imputatione sumus iusti, sed illa nouitate.

Respondeo. Do instantiam, Si hoc esset uerum, tunc hæ sententiæ nihil essent, Non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens, &c. Deinde respondeo ad minorem: In Spiritu non est peccatum, ille homo nouus non est totus spiritualis neq; secundum animam, neq; secundum corpus. Quando dicitur spiritus, non intelligitur anima sed tantum partialis, in anima sunt adhuc sordes, dubitationes, quæ nihil pertinent ad corpus, securitas quæ est in uoluntate.

Aliud.

Matrimonium multas difficultates & mala secum adfert, Ergo uiuendum est in cœlibatu.

Antecedens nullo modo negari potest, sed fortior causa est opponenda uidelicet uerbum Dei, quod præcipit ut simus coniuges. In Genesi, Non bonum est hominem esse solum. Item, Vitandæ scortationis causa unusquisq; habeat uxorem suam.

Aliud.

Negantes Christum mediatorem esse secundum utramq; naturam sic argumentantur.

Nemo

Nemo est mediator erga seipsum,
Mediator est erga Deum.

Ergo Christus in quantum Deus est non potest esse mediator, quia sic esset mediator erga seipsum,

Respondeo primum per instantiam, si hoc argumentum esset uerum, tunc multa similia sequerentur, nec sacerdotem esse Christum secundum diuinam naturam, nec propiciatorem. Quare igitur facta esset copulatio diuinæ & humanæ naturæ, & ualde obscuraretur dictum, Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credat in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Si natura humana sola esset mediatrix & redemptrix, quare igitur dicitur, Filius unigenitus datus pro mundo. Cum certißimum sit unigenitum dici, quia de substantia patris genitus est. Deinde ad maiorem, Nemo est mediator erga seipsum, scilicet nisi diuersis respectibus. Dupliciter autem necesse est considerare filium Dei, Primum ut cum æterno patre & Spiritu sancto facientem decretum de redemptione generis humani. Sic tota diuinitas mittit filium, iuxta illud: Pater qui misit me uerax. Secundo considerandus est filius ut persona missa decreto totius diuinitatis, qui fit obediens patri, profert nobis Euangelium ex arcano sinu æterni patris, aßidue intercedit pro nobis, & assumit hmamam

naturam, & sanctificat illam massam, quæ sustinet pœnam peccatorum nostrorum, quæ ideo potest sustinere iram Dei, quia est unita diuinitati. Hæc sententia potest confirmari authoritate Ambrosij & Epiphanij. Epiphanius in libro in quo summam doctrinæ Ecclesiæ recitat: Mediator Dei & hominum est, quia in medio utrorumq; est ad partem quidem Deus natura geminus ad homines uero homo naturalis ex Maria uirgine sine uirili semine genitus. Sic etiam est Mediator Dei & hominum, cum sit Deus, & sit homo factus non mutatis naturis, sed secundum utramq; naturam ad utrosq; medius.

Ambrosius sic inquit: Filius Dei assumpta carne homo natus est, ut Mediator Dei & hominum homo esset Christus Iesus, hoc est, non sine diuinitate, quia in Deo homo erat & Deus in homine, ut ex utraq; natura esset mediator & utrumq; reconciliaret.

Quotuplicis sunt uiæ fallaciarum.

Duplices. Aliæ sunt in dictione, aliæ extra dictionem,

In dictione quando uitium non est ex rebus, sed tantum ex genere sermonis, ut dicitur σχήματα λέξεως & σχήματα διανοίας, ut, Nullum peccatum

tum præcipit Deus, Iustitia ciuilis est peccatum, Ergo iustitiam ciuilem non præcipit Deus. Hic error non est in sermone, sed in rebus, Illa propositio est simplicißime uera, quod Deus non præcipiat peccata, quia talis est norma. Minor. Iustitia ciuilis est peccatum scilicet per accidens. Ergo est uitium in materia.

In dictione sunt sex fallaciæ, Æquiuocatio, Amphibologia, Compositio, diuisio, accentus, figura dictionis.

DE ÆQVIVOCATIONE.

Quid est Aequiuocatio?

Aequiuocatio est quando uitium seu error oritur ex genere sermonis, & est tantum in uno uocabulo. In hac fallatia uidelicet æquiuocatione non ualet argumentum, quia ambiguitas parit quatuor terminos, quæ connexionem conturbat, & fit ἀνακόλουθον, quia non est copulatio causæ cum effectu. Hinc est uersus: Erroris genetrix est æquiuocatio semper. ut

Deus iustificat,
Deus est dilectio,
Ergo dilectio iustificat.

Nego consequentiam & ratio est, quia est æquiuocatio in uocabulo dilectionis, & fiunt quatuor termini.

termini. Ad Maiorem, Deus iustificat, hæc propositio est simpliciter uera. Ad Minorem Deus est dilectio, scilicet qua Deus nos diligit, non est nostra dilectio qua nos diligimus Deum, ut Osiander & Cochleus intelligunt. Ergo dilectio iustificat, scilicet Dei non nostra, quia nostra dilectio non est tam firma qualem lex à nobis requirit, est multo imbecillior quam quod legi satisfacere poßit.

Aliud.

Satisfactio non est necessaria uel est inutilis, quia gratis habemus remißionem peccatorum propter Christum,

Restitutio furti est satisfactio,

Ergo restitutio furti non est necessaria.

Nego consequentiam & ratio est, quia est æquiuocatio in uocabulo satisfactionis, quæ facit quatuor terminos. Duplex est satisfactio, quædam ciuilis quæ est opus debitum & necessarium, & ad contritionem pertinet. Quædam sunt canonicæ de quibus Papistæ loquuntur, has definiunt esse opera debita quibus redimendæ sunt pœnæ. Hæc non est necessaria & est opus non debitum, quia Christus inquit, Frustra colunt me mandatis hominum.

Aliud.

Iudex non absoluit sine cognatione,

In confeßione petitur & fit absolutio,

Ergo

Ergo in confeßione etiam necesse est fateri aut enumerare omnia peccata.

Nego consequentiam & ratio est, quia sunt quatuor termini. In confeßione fit absolutio, scilicet non ut in iudicio, sed ut in ministerio, quod non est mandatum cognoscendi, nec est iudicium, sed mandatum tantum imperciendi beneficij & absolutionis.

Aliud.

Laudate dominum in sanctis,
Laudare est inuocare,
Ergo sancti sunt inuocandi.

Nego consequentiam, & ratio est, quia est æquiuocatio in uocabulo laudare.

Laudate Dominum in Sancto scilicet suo, hoc est, in sancta sua Ecclesia, Deus uult inuocari in Ecclesia, Laus eius in Ecclesia sanctorum, sanctum non significat aciem mortuorum.

Aliud.

Ad Hebræos dicitur, Fides est substantia rerum sperandarum & non apparentium.
Substantia per se existens non est accidens,
Fides est accidens,
Ergo non est substantia.

Nego conseq: & ratio est, quia est fallacia æquiuocationis. Respondeo. ὑπόστασις hoc loco non significat substantiam sed expectationem.

Aliud

Aliud.

Sapientia Dei nota est gentibus, 1. ad Roma:

Christus est sapientia Dei, 1 ad Corinth. 1.

Ergo Christus notus est gentibus.

Nego conseq: & ratio est, quia est ambiguitas, In Maiore sapientia significat sapientiam Dei essencialem, in Minore uero personalem, Vel nego conseq: quia ex puris particularibus nihil sequitur, Sapientia Dei nota est gentibus, scilicet legalis quæ in creatione fusa est in mentes hominum, non Euangelij de redimendo genere humano.

Aliud.

Spe saluati sumus.

Ergo non sola fide.

Nego consequentiam & ratio est, quia ambiguitas est in uocabulo saluari, cum dicit spe saluati sumus, non intelligit uocabulum saluati pro reconciliati, sed intelligit de liberatis de omnibus miserijs, & aliud de tempore integræ liberationis, aliud de causa iustificationis. Cum dico spe saluati sumus, intelligitur tempus liberationis, Cum uero dico, fide iustificamur, monstratur causa uidelicet misericordia promissa propter filium Dei quam fide oportet accipi.

Aliud.

Columba est auis,

Spiritus sanctus est columba,

Ergo

Ergo Spiritus sanctus est auis.

Nego conseq: & ratio est, quia est fallacia æquiuocationis. Spiritus sanctus est columba, est prædicatio figurata, est Synechdoche, h. e. in illa specie columbæ re uera aderat Spiritus sanctus.

Aliud.

Vulpes est animal quadrupes,
Herodes est uulpes,
Ergo Herodes est animal quadrupes.

Nego conseq: quia est fallacia æquiuocationis, Herodes est uulpes, est prædicatio figurata, est metaphora, hoc est, similis uulpi.

Aliud.

Piorum conscientiæ sunt certificandæ,
Lex non certificat,
Ergo Lex non est docenda.

Nego conseq: quia argumentum est æquiuocum & confusio de certitudine. Nam ad minorem, Lex non certificat, oportebat addi de gratia, quod uerum est, sed certificat de peccatis, quare retinenda est in Ecclesia.

Quid est amphibologia?

Amphibologia quæ deducitur ab ἀμφὶ & βάλλω, est non tantum in uno uerbo ut in æquiuocatione, sed in pluribus uocabulis seu in contextu uerborum.

Nam

Nam cum res sint infinitæ & uocabula finita non fieri potest, ut non incidat aliqua ambiguitas, quam circumstantiæ illustrant, ex quibus sumitur explicatio particulæ ambiguæ, siue sit in uno uerbo siue in contextu orationis. Talia sunt ut plurimum oracula, ut, Aio te Aeacida Romanos uincere posse, hoc est, Aio quod tu poßis uincere Romanos, & econtra, Aio quod Romani te poßint uincere. Sic Athenienses consuluerunt oraculum, An fœliciter essent illaturi bellum Syracusis, Oraculum respondit, Capietis omnes Syracusianos, quare insolentes mouent bellum & accipiunt catologum in quo erant scripta nomina Syracusanorum: Sed postea ipsi capiuntur & interficiuntur.

Persicus rex misit ad Spartanos, ut darent aquam & terram: Athenienses abiecerunt legatos in puteum & dederunt aquam & terram.

Sacerdos ducens uxorem suspendatur, hic suspendatur scilicet ab officio, mandetur ut aliquantisper suspendat officium, donec redeat in gratiam cum Episcopo.

Dux Atheniensis Paches obsidebat Colophonem, in qua urbe erat capitanius, quem Dux Atheniensis euocat in colloquium, cui promiserat quod saluum & incolumen esset introducturus, & cum loquitur cum capitaneo, oppugnant urbem, sciebant

enim illo absente nihil esse effecturos, & urbe expugnata reducit ipsum incolumem, sed postea ipsum interficit, Antiochus paciscitur cum legato Romano & dimidiam partem nauium petit, postea iussit naues legatus duci in unum locum & omnes secuit, & dimidiam partem restituit. Tales fallaces Dux Fridericus Saxoniæ solutus est appellare pactum Vandalicum, in quo ignoratur, utrum lepos uenatorem, uel uenator leporem sit capturus.

Vtrum enumeratio delictorum sit necessaria?

Chrisostomus. Nihil sic placet Deo sicut confessio delictorum, Ergo enumeratio delictorum est necessaria.

Respondeo, Dictum loquitur non de confessione ad sacerdotes, Sed confessio ad Deum, hoc est, res placens Deo, non meretur remissionem peccatorum, ut, qui errauit & fatetur se errasse & petit sibi ignosci peccata, ut Psal. Dixi confitebor aduersus me iniustitiam meam domino, Illa confessio est uera contritio, est talis contritio in qua se homo subijcit Deo & petit ueniam.

Aliud.

Elemosinæ redimunt peccata, Daniel ad Nabochodonos: cap. 4.

Elemosina est opus,

Ergo opera redimunt peccata.

Reſpondeo. Liberatio ſeu redemptio eſt duplex, alia culpæ, alia pœnæ. Ita elemoſinæ merentur remiſsionem ſeu mitigationem pœnarum temporalium, non æternarum.

Aliud.

Voluntaria placent Deo, iuxta pſalmi dictum, Voluntaria ſacrificabo tibi,

Traditiones humanæ ſunt cultus uoluntarij,

Ergo traditiones humanæ placent Deo, & per conſequens non ſunt delendæ.

Nego conſeq: quia eſt ambiguitas in uocabulo uoluntarij. Voluntarium duo ſignificat, primo ſignificat aliquid quod non eſt mandatum, ſicut ſimpliciter in minore. Secundo ſignificat id quod eſt mandatum ſpontaneo affectu cordis præſtare. Et in hac ſignificatione accipitur in dicto Pſalmi.

Aliud.

Euangelium eſt potentia Dei,

Potentia Dei eſt ipſe Deus,

Ergo Euangelium eſt ipſe Deus.

Reſpondeo, Euangelium eſt inſtrumentum, quo Deus eſt efficax, qua re Deus mortuo reddit uitam.

Aliud.

Cuiuslibet Chriſtiani eſt iuditium,

Ergo quilibet Chriſtianus ex iudex.

Nego conseq: & ratio est, quia est amphibologia in uocabulo iudicij. Nam in antecedente iudicium significat potestatem hominis Christiani se ipsum accusandi & confitendi peccata sua. In consequentia uero iudicium est quo aliorum hominum facta, scripta & mores iudicantur, quibus iudicium tale non est commissum à magistratu, sed sua licentia sibi sumunt illud, repræhendunt aliquid non repræhendendum. De tali iudicio loquitur scriptura, Nolite iudicare & non iudicabimini.

Quid est compositionis & diuisionis uitium?

Fallacia compositionis & diuisionis est cum à sensu diuiso uero, ad sensum compositum falsum proceditur. Et econtra. Hoc obijcit Demosthenes Aeschini quod leges mutilatas citauerit, sic inquiens, Leges iustum est integras citare, Proprium est diabolicum citare textum mutilatum, sicut Diabolus struens Christo insidias citat mutilatum textum, Mandauit angelis suis de te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum, Omittit in omnibus uijs tuis. hoc est, uocationibus tuis, DEVS custodit Dauidem in omnibus

nijs hoc est, uocatione, non in adulterio quia discedit à uocatione. Non erat uocatio Christi uolitare, sed docere & pati. Quare in omni nostra uocatione tantum ἔργα, hoc est, necessaria sunt facienda; hoc est, conuenientia nostræ uocationi, & quæ Deus præcipit & quatenus sunt præcepta & necessaria, non πάρεργα, quæ ut plurimum in hac extrema mundi senecta fiunt, ut Seneca inquit, Necessaria ignoramus, quia necessaria non didicimus, Et alibi, Magna pars uitæ perit nihil agendo, maior mala agendo, maxima aliud agendo.

Sic Iudæi mirabiliter corrumpunt scripturam, citant tantum de meßia triumphante & non de meßia passuro seu paciente.

Omnes Apostoli sunt duodecim,
Petrus & Paulus sunt Apostoli,
Ergo Petrus & Paulus sunt duodecim.

Negо conseq: & ratio est, quia ambiguitas ex diuisione oritur. In maiore particula (omnes) posita est collectiue non uniuersaliter. Quare non rectè subsumitur.

Aliud.

Fides sine operibus iustificat,
Fides sine operibus est mortua,
Ergo mortua fides iustificat.

Nego conseq: & ratio est, quia est fallacia compositionis

positionis & diuisionis. Fides sine operibus iustificat, quando propositio est uera pertinet particula sine operibus ad prædicatum nempe iustificat, fides est aliquid quod iustificat sine operibus. Vel est fallacia à non causa ut causa. Impoßibile est esse bona opera sine dilectione & spe, sicut impoßibile est abesse calorem à radijs solaribus.

Aliud.

Si uis esse perfectus uade & uende omnia.

Ergo perfectio est uadere & uendere omnia.

Nego consequen: & ratio est, quia est fallacia compositionis & diuisionis, Nam Christus addit, Sequere me. Christus uocabat eum, ut in fide faceret uocationis officia.

Aliud.

Roma: 2. Non enim qui legem audiunt iusti sunt apud Deum, sed qui legem factis exprimunt iusti habebuntur. Ergo Lex potest præstari.

Nego conseq: quia est fallacia compositionis & diuisionis. Diui Pauli non hæc est sententia quod legem præstemus, Imo damnat gentes & Iudæos transgressores legis, & inquit eos non ideo iustos, quia audiunt legem, Imo iniustos esse conuincit, quia legem non præstant etiamsi audiant. In Italia Diabolus per cristallum respondit quando interrogassent utrum deberent mouere bellum, Ibi-

tis, redibitis, non capiemini, qui postea omnes sunt capti, & non sunt reuersi.

Aliud.

Pater meus maior me est,

Ergo filius non est omnipotens.

Respondeo. Christus loquitur de uocatione, qui allegat testimonium diuinum quod missus sit à patre ad hoc ministerium. Quod autem sit æqualitas probatur ex alijs locis, et oportet considerare totum corpus doctrinæ, & ut uetus sententia sonat, Tota doctrina fidei est una copulatiua, Labefacto uno articulo fidei labefactatur fundamentum, & labefacto fundamento ruit tota doctrina.

Accentus.

Accentus non solum in una uoce, sed etiam in integra sententia fallit, quando aliqua efferuntur εἰρωνικῶς aut μιμητικῶς, ut Disrumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum, Hæc uerba ponuntur μιμητικῶς quia antichristus sic inquit in sua sinodo conspirant contra Christum.

Quidam homines mali deridentes Euangelium, dicunt non omnia esse uera in Euangelio. Reus est mortuus dicitur, Respondeo Euangelium uerum est & totum, quando autem narrat alienum sermonem, tunc est alienus, Illa uerba recitantur recitatiue ab Euangelista, qui alienum sermonem narrat, ut osten-

ut ostendat quomodo sit contumelia affectus. Valde enim utile est obseruare in quo gestu & in qua persona aliquid dicatur, quia circumstantiæ (ut Hylarius inquit) narrationem illustrant.

In Colosens: Paulus: Non gustate, non attingite, Hæc uerba ponuntur à Paulo εἰρωνικῶς non dispositiue.

Ironiæ insignem adferunt suauitatem tum in dictis tum in factis quando suo loco utuntur, ut in aula Cæsaris Caroli quinti satellicium Hispanicum cum satallicio Germanico contenderat, postea quidam insolentes Hispani accurrunt ad Cæsarem, ac petunt quod omnes Germanos à se dimittat, Hic respondit faciam, ac certum diem constituit, Die autem appropinquante, conuocat omnes Germanos ut à se dimitteret, tunc dicit illis, & ego sum Germanus, ego uobiscum proficiscar, ac in equum ascendit & profectionem simulauit cum Germanis, Illico accurrerunt Hispani ac procidentes in genua, ueniam suæ insolentiæ petierunt. Hoc exemplum est εἰρωνικὸν in dicto & facto.

In Matthæo. Et iustificata est sapientia à filijs suis.

Est ironia, ecce sic honorant me mei, iustificata est, hoc est, approbata est tanquam iusta colitur, excipitur & ornatur. Sapientia, id est, mea doctrina, à filijs suis, est irronice dictum, ut nos Germani dicere solemus, so ehren mich meine Leute.

FIGVRA DICTIONIS.

Dictio hoc loco non solum significat simplicia tantum uocabula, sed etiam coniuncta, quæ phrases uocantur. Et est fallacia dictionis quando aut uocabulum aut phrasis parit errorem, ut

Mus rodit caseum,
Mus est syllaba,
Ergo syllaba rodit caseum.

Nego consequentiam & ratio est, quia est fallatia dictionis. Nam mus in maiore significatiue ponitur, & significat animalculum. In minore mus ponitur materialiter seu artificialiter & utitur pro ipso sono. Hic obseruandum est, duplicia esse uocabula, alia nominum & alia rerum. Cæterum nomina rerum sunt uocabula primæ intentionis, nomina nominum, ut homo est species, secundæ intentionis. Regula, A prima intentione ad secundam non ualet consequentia, ut,

Deus est ubiq;,
Vbiq; est aduerbium,
Ergo Deus est aduerbium.

Respon-

Respondeo ubiq; in maiore est primæ intentionis, in minore uero secundæ intentionis, Ergo non ualet conseq : iuxta regulam.

Hieronymus. In Sophonia scriptum est : Nugas qui à lege recesserunt propter legem colligam, quia ex te erant. Constructio est ad intellectum referenda, In Hæbreo sermone significat nugacem sermonem, interdum etiam nugacem hominem. Nugas id est, uexatos propter legem colligam, quia ex te erant, id est, quia erant ex illo numero electorum. Est promißio dulcißima, & lusit in figura dictionis Hieronymus.

Aliud.

Non auferetur sceptrum de domo Iudæ antequam nascatur Meßias.

Sed à nobis Iudæis (inferunt) sceptrum nondum est ablatum, id est, pœna quam multis annis iam tulimus, sumus iam sine politia, sine prophetia.

Ergo Meßias nondum uenit.

Hic figura est dictionis & æquiuocationis.

Aliud.

Quando Meßias ueniet, pascentur lupi cum ouibus,

Lupi iam insidiantur ouibus, ut dilacerent eas,

Ergo Meßias nondum uenit.

Respondeo, Maior intelligenda est figurate

 non

non simpliciter, id est, Ecclesia erit tranquilla & pacata.

FALLACIA EXTRA DICTIONEM.

Quot sunt fallaciæ extra dictionem?

Septem.

1. Fallacia accidentis.
2. A dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.
3. A non causa ut causa:
4. Fallacia consequentis.
5. Petitio principij.
6. Secundum plures interrogationes.
7. Ignoratio Elenchi.

Nam omnis confusio rerum oritur aut ex substantie aut accidentis mixtione, aut totius & partium, aut qualitatum & actionum, aut uitiosa consequentia,

FALLACIA ACCIDENTIS.

Multa uni accidere possunt, sed dissimili ratione, itaq; fallacia accidentis est, quando accidens male tribuitur subiecto, seu quando accidentia male coniunguntur. Hinc multa errata sequuntur tantum ex ignoratione sermonis, ut, Anabaptistæ dicunt esse impietates omnia politica propter rerum confusionem, quia uident esse magna uitia in aulis, ideo putant

tant non placere Deo, iuxta uetus dictum, Exeat aulam qui uult esse pius. Et Lucanus: Nulla fides, pietasq; uiris qui castra sequuntur. Non simpliciter hoc est uerum, quia aliqui etiam sunt boni & pij, ut Dauid, Ionathas, Cornelius &c. etiamsi multa sunt uitia, tamen quidam sunt fideles. ut

Vitia non sunt à Deo,
Imperia sunt plena uitijs,
Ergo imperia non sunt à Deo.
Nego conseq: quia est fallacia accidentis.

Aliud.

Causa discordiarum est res mala,
Euangelium est causa discordiarum,
Ergo est res mala,

Nego conseq: & ratio est, quia est fallacia accidentis, Euangelium non est causa per se discordiarum, sed mala uoluntas hominum, quæ recusat assentiri huic, ut in Pharisæis Cam & in reliquis impijs quæ est causa per se.

Aliud.

Nullum malum est gloriosum,
Mors est gloriosa,
Ergo mors non est mala.

Respondeo, Minor non est per se uera sed per accidens. In martyribus qui anteponunt & antefterunt

ferunt gloriam Dei seu confeßionem uitæ, mors est gorioſa, ſed contra mors Arrij & aliorum impiorum non est glorioſa.

Aliud.

Peccatum non placet Deo,
Bona opera ſunt peccatum,
Ergo bona opera non placent Deo.

Reſpodeo. Opera quæ fiunt ex uera fide ſunt bona opera, & placent Deo propter perſonam credentem. Nam Deus primum reſpexit ad Abel, poſtea ad eius bona opera. Econtra quicquid non eſt ex fide peccatum eſt, etiamſi in ſpecie ſanctißimum uideaur.

Aliud.

Si ponitur peccatum originis tunc ſequitur uoluntatem eſſe malam.
Sed uoluntas eſt bona, quia eſt creata à Deo.
Ergo non eſt peccatum originale in hominibus.

Reſpondeo ad Minorem, uoluntas eſt mala non per ſe, quia bona condita eſt à Deo, quæcunq; enim Deus condidit fuerunt ualde bona, Sed uoluntas eſt mala per accidens quæ libere ſe auertit à Deo conditore.

Aliud.

Ad impoßibilia nemo obligatur,
Lex eſt impoßibilis,
Ergo nemo ad legem obligatur.

Reſpondeo

Respondeo. Improprie dicitur quod per legem ad impoßibilia obligamur, Cum Adam primum esset conditus non solum lex ei poßibilis, sed & iucunda fuit, hanc obedientiam quam requirebat lex summa uoluptate & lætitia animi præstabat & quidem perfecte, sed quod nunc post lapsum est impoßibilis, non sua in lege, sed in natura culpa fit, non est culpa obligantis, sed peccantis. Et hoc fit per accidens. Aliud.

Peccatum non gignit,
Concupiscentia gignit,
Ergo concupiscentia non est peccatum.

Nego conseq: & ratio est, quia est fallacia accidentis, & fit confusio naturæ & accidentis, Morbus ille qui nominatur ἀταξία non gignit, sed natura quatenus mansit.

A DICTO SECVNdum quid ad dictum simpliciter.

Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter est, quod secundum partem dicitur simpliciter sumitur. Et hæc oritur ex quantitate, quia est confusio uniuersalium & particularium, uel totius & partis, ut, An natura agat propter finem.

Interdum natura aberrat à suo fine,
Ergo nullum habet certum finem.

Nego

Nego consequentiam, quia est fallatia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, Interdum aliquæ partes materiæ temere miscentur, Ergo nullæ generationes in natura ordinatæ sunt. Manet enim ordo in conseruatione specierum uniuersaliter, etiamsi interdum in aliqua parte materiæ aliqua accidit confusio.

Aliud.

Maxima uirtus iustificat,
Dilectio est maxima uirtus,
Ergo dilectio iustificat.

Nego conseq: quia est fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Paulus hoc loco proprie loquitur de dilectione, & significat dilectionem maximam esse, quia plurimos fructus habet, fides & spes agunt tantum cum Deo. At dilectio etiam erga homines infinita habet officia, & latius patet in hac uita quam fides. Potest etiam hoc modo responderi ad argumentum per inuersionem, Imo, quia dilectio maxima est uirtus, ideo minimè iustificat, quia minimè eam præstamus. Nam sicut lex maxima seu prima minimè iustificat, ita nec maxima uirtus legis, id est dilectio.

Aliud,

Quis-

Quisquis imperat multa contra naturam est tyrannus,

Lex præcipit multa contra naturam.

Ergo Lex est tyrannus.

Nego conseq: quia est fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Respondeo ad Maiorem, Quisquis imperat multa contra naturam est tyrannus, scilicet naturam ordinatam contra notitiam naturalem, Deinde ad Minorem, Lex præcipit multa contra naturam, scilicet contra cupiditates uiciosas non notitias naturales.

Aliud.

Obtemperare non omnibus uiribus est peccatum,

Christus aliqua parte fugit mortem,

Ergo non fuit absq; peccato.

Respondeo, est fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, Est enim duplex fuga mortis, alia ardinata, alia inordinata. Christus non fugit mortem ut nos inordinate, hoc est, quadam mollicie cui adiuncta est dubitatio de Deo, sed naturaliter sine peccato, quia hanc trepidationem ad extremum uincit amor Christi & Ecclesiæ.

Aliud.

Ecclesia non errat,

Ecclesia uniuersaliter recipit indulgentias,
Ergo indulgentiæ non sunt error.

Nego conseq: quia fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Minor. Ecclesia uniuersaliter recipit indulgentias, hæc manifeste falsa est, quia Ecclesia non uniuersaliter recipit indulgentias. Multi enim sanioris iudicij homines non reciperunt istas abominandas ac nefarias indulgentias pontificiales.

Aliud Antinomiorum & Anabaptistarum.

Iusto non est lex posita,
Dauid post conuersionem est iustus,
Ergo lege non coherceatur.

Nego conseq: & ratio est, quia est fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Liberatus est Dauid conuersus à lege quoad condemnationem non quod ad obedientiam, uel Respondeo primum ad Maiorem, Iusto non est lex posita, scilicet, quoad iustificationem. Lex non est proponenda ut homo fiat iustus lege uel operibus uel magis cultus, Sed prorsus alia res proposita est qua homo fit iustus coram Deo, nempe filius Dei, propter hunc & iustus fide, hoc est, habet remißionem peccatorum & imputatam ipsius iustitiam & propter ipsum, & est donatus Spiritu sancto & hæreditate uitæ æternæ.

æternæ. Deinde ad Minorem, Dauid post conuersionem est iustus, scilicet non absolute, sed imputatiue, in quo tamen multæ sordes grauißimorum peccatorum hærent, ut dubitatio de Deo, contumacia aduersus Deum.

Aliud.

Paulus uituperat obseruationem dierum,
Ergo omnis obseruatio est tollenda.

Nego conseq: quia est fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Paulus prohibet obseruationes aliquo modo non prohibet simpliciter, Paulus non damnat discrimina dierum apud medicos, qui prohibent febricitantibus uinum propter causam phisicam, quæ est opus Dei. Deus sic condidit uinum ut augeat febrim, quia simile additum simili facit ipsum magis tale. Quando uinum infunditur hepati calenti, tunc magis incenditur. Rursus quando datur aqua ad bibendum moritur febricitans, quia hepar magis inflammatur per ἀντιπερίστασιν. Quare obseruatio dierum & ciborum apud medicos non est superstitiosa, quia habet causam phisicam: Nam superstitio est obseruatio quæ nec habet mandatum seu institutionem diuinam, nec causam phisicam, ut, si aliquis scribit quasdam notas, & pendit illas à collo contra febrim est superstitiosum, quia nec mandatum diuinum habet, nec causam phi-

ſicam, figuræ enim nihil agunt ut quantitates quæ non ſunt actuales, ſed qualitates. Turcica circumciſio eſt ſuperſtitioſa, quia tantum ſemini Abrahæ mandatum eſt & ad certum tempus.

Aliud.

Aſperges me domine Iſopo & mundabor,

Ergo Iſopus delet peccatum, ut Iudæi ſenſerunt.

Nego conſeq: quia eſt fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Antecedens, Aſperges me &c. intelligendum eſt de aſperſione filij Dei, ponitur ſignum pro ſignato.

A NON CAVSA VT CAVSA.

Hæc fallacia oritur ex confuſione qualitatum & cauſarum, cum uidelicet aliquid fit cauſa, ex cauſa non propria & aliena, ut,

Qui non diligit manet in morte,

Ergo impoßibile eſt ſola fide iuſtificari,

Reſpondeo. Concedo totum ſi intelligatur fidem non eſſe ſolam. Sed hic non ſequitur dilectionem eſſe cauſam remißionis peccatorum, & particula excluſiua non excludit uirtutes ne adſint, ſed excludit ne illis attribuamus meritum, & ſignificat ſolum Chriſti meritum & cauſam remotionis.

Aliud.

Si omnem fidem habeam dilectionem autem non

habeam

habeam nihil sum, Ergo dilectio est causa propter quam personæ peccatum remittitur.

Nego conseq: quia est fallacia secundum non causam ut causam. Quando homo recipit remißionem peccatorum debet habere bonum propositum. Bonum autem propositum est remittere alijs, & si alteri non remittit conuersio nondum inchoata est, & quanquam gratiam seruus apud Matthæum cap. 18. consecutus erat, tamen postea rursus amittit, quando condonare delicta conseruo suo recusat.

Aliud.

Fides significat fiduciam,
In fiducia inest dilectio.
Ergo & dilectione sumus iusti.

Respondeo ad Minorem, In fiducia inest dilectio, Concedo, in fiducia esse dilectionem, & hanc & plerasq; alias uirtutes adesse oportet. Sed inde non sequitur quod dilectio sit causa iustificationis, quare est fallacia secundum non causam ut causam. Dicitur enim hoc correlatiuè, Fiducia sumus iusti, id est, per misericordiam propter mediatorem sumus iusti.

Aliud.

Posita causa ponitur effectus, & qua non posita non sequitur effectus,

Posita fide cum nouitate sequitur effectus nempe hominem esse iustum & à Deo receptum,

Ergo non sola fide iustificamur.

Nego consequentiam, quia est fallacia à non causa ut causa. Nouitas ponitur non ut causa sed ut effectus, primum mens debet certo statuere quod simus accepti Deo gratis, & postea debent sequi effectus, nempe bona opera.

Aliud.

Votum est seruandum,

Filia patri occurrens fuit uotum,

Ergo filia patri erat necessario immolanda.

Respondeo ad maiorem, uota sunt seruanda scilicet licita, quæ neq; cum lege naturæ neq; diuina pugnant, sed quia rex illud quod primum occurisset immolandum deuouerat, intelligendo de uictimis seu hostijs usitato more iuxta consuetudinem Mosaicam.

Aliud.

A signis cœli nolite timere.

Ergo nihil significant,

Nego conseq: quia est fallacia à non causa ut causa. Nam quia aliquid magni signa cœli significant, ideo consolatur mentes piorum, ne animum abijciant & desperent.

Aliud.

Oculi imbecilles læduntur à radijs solaribus,

Ergo

Ergo ſol corrumpit oculos,

Nego conſeq: quia eſt fallacia ſecundum non cauſam ut cauſam.

Aliud.

Impoßibilia non ſunt utilia,

Præcepta Chriſti de non concupiſcendo ſunt impoßibilia,

Ergo ſunt inutilia.

Nego conſeq: quia eſt fallacia à non cauſa ut cauſa. Reſpondeo ad Minorem, Præcepta Chriſti de non concupiſcendo ſunt impoßibilia, nempe quando præcipiuntur principialiter faciendi cauſa, ſed non ſunt inutilia ſi proponuntur propter agnitionem noſtræ imbecillitatis, & ad excitandam pœnitentiam, ad quem finem referenda ſunt præcepta Chriſti.

FALLACIA CONSEQVENTIS.

Fallacia conſequentis eſt quando ex antecedente non recte infertur conſequens. Talia nominat Ariſtoteles ἀσυλλόγιστα, Plato uero ἀνακόλουθα id eſt, non cohærentia, quando uidelicet conſequentia non neceſſaria ſequitur ſeu eruitur ex præmißis, quare Irenæus dicit de Hæreticis, Hæreticorum argumenta non cohærere, ut ſi quis uellet funiculos nectere ex arena, ut Anabaptiſtæ,

Chriſtiani debent eſſe pacientes,

Ergo non debent eſſe Magiſtratus.

Reſpondeo, eſt fallacia conſequentis. Nam paciẽntia non tollit ordinationem diuinam, ſed illa ſimul debent eſſe & pacientia & ordinatio diuina, uidelicet Magiſtratus, ut Chriſtiani non debent eſſe auari, Ergo non debent eſſe arithmetici, Arithmeticum eſſe eſt magnum donum diuinum & magnum decus, & uita non poteſt carere illa arte. In ſcholis hoc propoſuerunt exemplum, Baculus ſtat in angulo, Ergo cras erit ſerenitas. Et in iure Canonico, Non concordat Pſalterium cum cythara, Ergo uxor non eſt ducenda ſacerdotibus.

Ecce duo gladij hic,

Ergo Papa habet utramq; poteſtatem Regiam & Apoſtolicam.

Nego conſequentiam, quia non eſt dicti ſententia natiua, Sed Chriſtus reſpondit, Satis eſt, eſt querela & neſcit quid loquitur, Duo gladij perſequuntur Euangelium, ſeuitia hypocritica & ſeuicia tyrannica, uidelicet, Phariſæorum & Pilati, eſt reſponſio taxans errorem, quod Petrus exiſtimet eſſe præliandum, ſi fuiſſet præliandum opus, fuiſſent pluribus gladijs.

Aliud.

Qui facit Tyrannice eſt Tyrannus,

David

Dauid facit tyrannice,

Ergo est tyrannus.

Nego consequentiam et ratio est, quia aliud est esse tyrannum, & aliud tyrannice facere. Hic discrimen cogitandum est inter bonum principem & inter tyrannum. Princeps bonus est qui habet προαίρεσιν recte faciendi, & plerumq; recte facit etiamsi interdum labitur. Tyrannus uero est qui habet προαίρεσιν seu uoluntatem male faciendi & plerumq; male facit, etiamsi interdum recte facit. Etsi Dauid semel tyrannice fecit, non ideo est tyrannus, quia non habet προαίρεσιν male faciendi.

Aliud.

Iudicium Dei est secundum ueritatem,

Contra ueritatem est imputare alicui non habenti,

Ergo Deus non imputat non habenti, & per consequens, nemo iustificatur nisi faciens legem.

Respondeo primum ad maiorem, iudicium Dei est secundum ueritatem, scilicet ab ipso reuelatum. Deinde ad Minorem, Contra ueritatem est alicui imputare non habenti, scilicet legis, non Euangelij. Nam ideo fit imputatio Euangelica, quia legi satisfacere non possimus.

Et Paulus, Et qui operatur. merces non imputatur. Et Roman 4: Operanti merces non imputatur secundum gratiam.

Aliud.

Dona Dei non sunt ipse Deus,
Spiritus sanctus est donum Dei,
Ergo Spiritus sanctus non est Deus.

Respondeo ad Maiorem, Dona Dei sunt duplicia, alia sunt dona intra Deum, alia extra Deum, dona intra Deum sunt Spiritus sanctus, filius datus uictima pro nobis. In his donis distribuendis nihil detrahitur diuinæ essentiæ. Extra Deum sunt donatio uitæ, rerum corporalium &c. Deinde ad Minorem, Spiritus sanctus est donum Dei, scilicet internum. Vel Nego Maiorem & do instantiam, quia & Deus sese donare potest, ut donat nobis filium suum.

Aliud.

Vtrum maior sit lapsus Mariæ aut Euæ.
Peccata distinguuntur obiectis.
Maria peccauit circa maius obiectum, uidelicet circa filium Dei, Eua uero circa pomum,
Ergo maior est lapsus Mariæ quam Euæ.

Respondeo ad Maiorem, peccata distinguuntur obiectis scilicet minus principaliter, principaliter uero

uero distinguuntur secundum mentem & uoluntatem. Deinde ad Minorem, Maria peccauit circa maius obiectum, concedo. Sed non uolenter, uerum sciens & ualens peccauit Eua, quæ uolebat esse similis dijs.

Aliud.

Quicquid Deus uult necesse est fieri,
Deus uult omnes homines saluos fieri.
Ergo necesse est fiat.

Respondeo ad maiorem, Quicquid Deus uult necesse est fieri, Hæc sententia uera est de uoluntate Dei efficaci, seu de decreto diuinæ uoluntatis cum accedat efficax actio. Sed Deus in his naturis quas sic condidit ut habeant liberum assensum non semper agit uoluntate efficaci. Deinde ad minorem, Deus omnes homines uult saluos fieri scilicet quod ad ipsius uoluntatem attinet. Tamen ut effectus sequatur, h. e. ut saluemur opus est peculiari actione Dei in nobis, oportet enim in nobis existere ueram contritionem, fidem & nouam obedientiam.

SECVNDVM PLVRES interrogationes.

Hæc fallacia committitur quando quis de pluribus diuersis interrogatus unam dat responsionem, ut interrogatus utrum fides aut bona opera iusti-

ficant responderit, Sic, non distincte, statim hunc paralogysmum committit. Nam hæc confusio nihil aliud est quam confusio membrorum, quando uidelicet minus multa membra interesse miscentur, nec argumentum ad omnes partes propositas accommodatur, ut, Si quis interrogatus, Est ne uinum bonum aut malum, responderit, Ita, Valla.

Omnia fiunt necessaria.

Ergo nullum est liberum arbitrium.

Respondeo, Antecedens est falsum, est horribile & crudele auditu dicere, quod necesse fiant scelera Neronis, Caligulæ & aliorum sceleratorum flagitia. Nam cum Manilius inquit, Fata regunt homines; certa stant omnia lege, non uult ut omnia sint necessaria, sed omnia ordinata in natura & fata phisica adferunt inclinationem. Plato. Non est patiendum in ciuitate, ut dicatur Deum esse causam peccati, & pugnat cum definitione Dei secundum Platonem, Deus est mens æterna, causa boni in natura. Honeste etiam & uere dictum est ab Euripide: εἰ μὴν θεοὶ τι δρῶσιν αἰσχρὸν οὐκ εἰσὶν θεοί. Valdè sæpè accidit in medendo ut medicus sit intentus in unam partem & negligit alteras, & ita decipitur. Deus non ita in aliquam partem est intentus, sed in totum, uult seruare Ecclesiam etiamsi aliqui pereant.

PETITIO PRINCIPII.

Petitio principij nihil aliud est. quam incerta incertis, infirma infirmis, ignota ignotis probare, & nunquam certa ratione nostræ dubitationi satisfacere. Et quando sæpe eam rationem in probando afferimus, licet mutatis uerbis, tum semper ad principium recurrimus, semper idem dicimus & nunquam certo affirmamus aut demonstramus, Vnde & Aristoteles 2. priorum analiticorum, Petere (inquit) id quod est in principio, Est ostendere quicquam per id, quod per se manifestum non est, quod profecto est propositum non ostendere, ut Stellæ non sunt animalia, quia non habent corpora organica. Multi cum Epicureis sentiunt, Ergo Epicurei non errant. Hæ probationes captiosæ sunt, quia æque in dubio sunt ut argumenta ipsa, Nam dubium est utrum illi qui assentiuntur recte sentiant.

IGNORATIO ELENCHI.

Ignoratio Elenchi dicitur quando luditur fallacijs. Ad hanc omnes fallaciæ referuntur quæ ad nullum alium modum captionum referri possunt. Sunt autem redargutiones ἔλεγχοι quibus in

iudicijs aduersarios conuenimus, cum sit uocabulum iudiciale. Sophistici autem elenchi ideo nominantur, quod his notis ipsas cauillationes redarguimus, ut illorum dolus & fucus patefiat. Aristoteles lib: 1. cap. 5. Falsis rationibus decipere, nostrum autem ἐλέγχεσθαι deprehendere uiciosam captionem & dissoluere calumnias. ut,

Petrus est pater illius & non istius,
Ergo, Petrus est pater & non pater.

Aliud.

Lex Moisi non suspendit fures.
Nostra Lex suspendit fures,
Ergo est iniusta.

Respondeo, nostra Lex potest esse iusta etiamsi non congruat cum Lege Moisi. Nam nostra politia non est politia Moisi, sed sumpta est ex rerum natura, quia feroci populo conueniunt leges duriores.

Aliud.

Lex uetus in Ecclesia prohibet coniugium sacerdotum,
Nos in nostris Ecclesijs concedimus,
Ergo non recte facimus.

Nego conseq: & ratio est, quia illa Lex quæ uocatur Ecclesiastica est iniusta, & pugnat cum uerbo Dei, quare à nostris est abolita.

Aliud

Aliud. Textus dicit.

Si uis ingredi in uitam serua mandata,

Alius Textus dicit.

Gratis saluati estis, illa inter se pugnant.

Respondeo. Hæc non pugnant inter se, sed solutio sumatur ex ipsis fontibus, nempe de discrimine legis & Euangelij. Lex per fidem stabilitur.

ABSOLVIMVS NVNC (Dei gratia) præcepta quæ in Dialecticis tradi solent, & exemplis illustrauimus pro uirili, discentibus (ut opinor) ad discendum ualde utilia. Nunc autem restat, ut ad hæc præcepta accedat usus, Nam Plato inquit, Præcepta sunt facilia, sed usus difficilis. Diligentia itaq; assuefactione mediocri opus est, quæ artem ipsam assequi potest, iuxta illud Ouidij, Solus & artifices qui facit usus erit, Et Iulij Cæsaris, ut est rerum omnium magister usus. Oro autem Deum æternum patrem, filium, & Spiritum sanctum, ut incendat corda nostra suo lumine, & exuscitet in nobis motus pios & diligentiam in perdiscendis literis, & bonis artibus, quarum usus latè patet in tota uita, & faciat nos salutaria eius organa, regat nostra studia & retineat nos intra metas, ne aut ad sinistrum aut dextrum declinemus. Oro etiam ut conseruet Ecclesiam & politias quæ sunt hospitia

Ecclesiæ

Ecclesiæ & præbeat illi halciona propter meritum & paßionem filij domini nostri Iesu Christi, & propter suam ipsius gloriam, quia mortui non laudabunt te domine, neq; omnes qui descendunt ad infernum, Sed nos qui uiuimus benedicimus domino.

(. .)

(.)

FINIS.



[illegible] in diesen Tagen [illegible]
und [illegible] [illegible]

mußdruck

1 3

z

Rußstachzi

